







ARS DE DOSIBVS MEDICINARVM,

ET ALIA

PRAESTANTISSIMORVM

Medicorum monumenta;

quæ omnia in sequenti

pagina indicantur.

Accesſit & Index locupletiſsimus in calce Operis.



PATAVII,

Apud Gratioſum Perchacinum

M. D. LXIIII.

MATTHAEI CVRTII De Dosibus, De septimestri partu. De febribus.

FRANCISCI CASSIANI Quæstio de sectione venæ in pleuritide.

BENEDICTI VICTORII Fauentini De Dosibus.

BARTHOLOMAEI Montagnanæ De Dosibus.

GVLIELMI RONDALITII De ponderibus, & iusta quantitate medicamentorũ.

THOMAE DE GARBO De Reductione medicinarum ad actum, & de Gradibus earundem.

GRATIOSVS PERCHACINVS

candido Lectori S. D.

SI Pythagoræ notißima illa μετεμψύχωσις aliquam fidem meretur verisimilem certè eã hoc maximè facit argumentum, cum videamus hæc nostra tempora, plurimos in varijs artibus viros ita excellentes, partim habuisse, par-

tim adhuc habere, qui cū ipſis primis earundem artium inuentoribus, iure optimo comparari poßint, quaſi horum animæ nunc in iſtorū corpora tranſmigrarint. Nolo autem hic longa ſerie omnes enumerare, tum quod res hæc huius loci non ſit, tum quod in immenſum noſtra creſceret oratio, ſed tantum aliquorum, qui in arte medica, omnium calculis, ad ſummum faſtigium, hac noſtra ætate, peruenerunt, breuem faciam mentionem. Quid quæſo præſtantius deſiderari poteſt, quàm ſunt iſti Viri, quorum opuſcula typis noſtris diligenter excuſſa, candide Lector, nunc tibi legenda damus?

Si ſingulorum meritas laudes enu merare vellem, ſingula volumina mihi conſcribenda eſſent, nec vnquam par huic oneri eſſe poſſem. Sat erit aliquid de Curtio hic com memorare, quem artem medicam hoc noſtro ſeculo inſtauraſſe, omnes, etiam qui malè de eo ſentiunt, fatentur, cumque Poeta dicat,

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri,

Ideo tantum debemus Curtio, qui collapſam artem medicam inſtaurauit, ac errorum tenebris ſepultam iterum in lucem produxit, atque priori nitori miſerè deturpatam reſtituit, quantum primis illis huius artis authoribus, qui & fundamenta artis iecerunt, ac tan

dem totam artis fabricam pulchro ordine construxerunt. Legimus Romanum illum Curtium, quia patriam suam ab hiatu illo, sese in eum præcipitem dando, liberarit, omnium laudibus celebratum, & adhuc in hodiernum vsque diem virtus ipsius ab omni planè macula est immunis. Sic medica resp. in cœlum vsque, vt hunc nostrum Curtium extollat, est necesse, qui turpißimos tales hiatus, & fœtidos innumeros errores in arte medica agnouit, & funditus aboleuit. Testantur de hac Curtij excellenti eruditione, monumenta plurima, tum mortua tũ viua, quæ totus orbis nunc

quo-

quoque reuerenter habet & obser uat. In omnium manibus sunt libri à Curtio editi, Doctißimi denique Viri, quos nunc in arte medica adhuc superstites veneramur, omnes ferè ex schola Curtij prodierunt. Hic est equus ille Troianus, ex quo non milites gregarij sed præstantißimi Duces sunt progreßi. Hæc est schola ista Pythagoræ, quæ nihil nisi diuina ingenia toti orbi communicauit. Res ipsa loquitur, ideo discipulorum nomina silentio præteribo, præsertim cum sine adulationis suspicione eorum laudes à me decantari non possent, quam tamen procul semperq; à me abesse velim. Hæc de

Curtio breuißimè dicta sufficiant. Sic nemo est cui Francisci Caßiani celeberrimum nomen non peruenerit ad aures, Omnium ore etiã prædicatur insignis eruditio Benedicti Victorij Fauentini: Nec denique Bartholomæi Montagnanæ amplißima fama vnquam apud doctos & bonos interibit. Quid vero de Rũdalitio hic in medium adducam? Eruditi aliquot iuuenes Germani, qui in schola Montis Pessulani cum dicto Rundalitio familiariter viuentes, intellexerunt ex eo, ipsum nihil in isto opusculo de dosibus, quod Papiæ antea excussum fuerat, pro suo agnoscere, ita vt indè occasionem sum-

ſumpſerit, libellum de hoc argumento conſcribendi, quem poſtea Lugduni, ſub patrocinio Epiſcopi Montis Peſſulani, edi curauit. Hunc, priori iſto neglecto, & ipſe tibi, candide Lector, offerre malui, vt germana & γνήσια, non autem ſpurij fœtus ex noſtra officina prodirent. Quis vero hic Rundalitius ſit, omnibus doctis conſtare ſcio. Plurimi profecto ſolo ipſius nomine moti, in extremam illam Galliæ oram ad ipſum audiendum proficiſci non verentur, ſicut nec Galenum, nec eo priores, in Ægyptum piguit tranſcurrere, vt inde optimis literis onuſti ad ſuos reuerterentur. Opus de piſcibus

ſcibus

ſcibus à Rundalitio editum nonne authorem immortalitate donauit? Sed prætereà ſi Anatomicum deſideras, hic ſolertem dabit, in chirurgia ſummas apud omnes meretur laudes, in doctrina ſimplicium primarijs meritò annumerari poteſt, in morbis denique omnibus curandis neminem habet ſecundum, ſicut teſtantur omnes nō niſi doctiſsimi quique ipſius diſcipuli, & teſtabuntur alij quoq; qui æqui iudices eſſe volent. Pellæ vrbis nomen obſcurum ſemper manſiſſet, niſi ipſa Alexandrum iſtum Regem, qui à rerum ſuarum geſtarum magnitudine non Magnus ſed Maximus dici meruerat,

rat, genuisset: Ita & Montem Pessulanum Rundalitius, alumnus gratissimus, apud omnes reddidit maxime insignem, alioquin perpetua nocte & silentio inuolutum. Sed nescio quo fastidio mortales præsentia bona prosequuntur, & vt Poeta inquit,

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi,

Quia fortassis oculi nostri splendore Virtutis excœcati, minus dextrè de ea iudicantes, faciunt vt tandem in minori apud nos sit existimatione. Sic quoq; nunc Rundalitio sui non desunt æmuli, qui nomen ipsius calumnijs obscurare nituntur. Salua tamen semper

Run-

Rundalitio sua durabit authoritas, & illa, quam laboribus suis acquisiuit & adhuc acquirit, immarcescibilis gloria, cumque iudicium melius posteritatis erit, vt Poeta ait, ideo spero & doctam posteritatē huius Viri nomen grata semper memoria celebraturam. Præter hoc nouum Rundalitij opusculum, offero tibi, candide Lector, nunc & alia duo, antea nunquam edita, & à Thoma filio Dyni conscripta, quorum primum de reductione Medicinarum ad actum, secundum verò de gradibus earundem, iucundas & vtiles disputationes & dogmata in se comprehendunt, sicut melius

ista

ista à te agnosci quàm à me descri bi possunt. Habui autem illa ipsa, à doctissimo iuuene Iulio Cæsare Romanello Monopolitano, qui non inuitus precibus meis, cum ab ipso hos libellos peterem, locum dedit. Spontè enim quoque in hoc vnicum incumbit, & occasiones omnes sedulò inuestigat, vt sibi tandem fenestra de re literaria benè merendi aperiatur. Hunc ipsius generosum animum facilè agnoscent omnes, partim ex his duobus opusculis, partim ex alijs plurimis, quæ aliquando ex sua bibliotheca humano generi communicabit, vt ita & erudita posteritas eũ publica priuatis semper præposuis-

ſuiſſe grata cum laude ſit celebratura. Hoc te celare nolui, vt ſcias quid ex officina Ioannis Baptiſtæ Turlini, Typographi Ticinenſis, primum acceperis, & quid nunc ex mea tibi offeratur. Quod ſi hoc meum ſtudium tibi gratum fuiſſe, & me cum meis conatibus apud te gratioſum verè eſſe intellexero,

Munera te dicam magna dediſſe mihi,

& ſic facies, vt tuæ erga me beneuolentiæ memor, optimos quoſq; libellos tibi ex officina mea ſim prolaturus. Bene vale & me, vt omnes tui ſtudioſos ſoles, amore complecti perge.

IOANNIS FRANCISCI RIPENSIS IN LIBRVM de ponderibus.

AD D. G. RONDALETIVM Medicum præstantisſimum.

VIderat æquoreis, magnus Neptunus in vndis
Iura prius toto te poſuiſſe freto:
Squammigerumq; genus placidas duxiſſe per vndas
(Quis putet) ad patuli littora curua ſoli:
Vt tua, fluminibus neglectis, iuſſa capeſcant:
Atque petant nutu, nomina vera, tuo.
Vnde pater tumidum, Neptunus, ſummus aquarum
Iudicii captus dexteritate boni,
Conſortem pelagi, liquidæ te fecit & vndæ:
Ingenii poterant hæc monumenta tui.
Non ſatis hæc: iuſta terraſque bilance gubernas,
Dum monſtras Medico pondera certa choro.
Quanta Machaoniis eſſent diſcrimina rebus,
Conſtaret numeris ni bene fulta ſuis.
Hæc tibi quæ certam promittit planta ſalutem,
Corpora neglecto pondere ſana necat.
Hanc partem medicæ retuliſti primus in artem
Tam bene præteritis non lucubrata viris.
Vt non ſollicitet præbentem pharmaca, ne've
Propoſitum fallat pendula libra bonum.

Hunc

Hunc vigili doctum relegit qui mente libellum,
Et voluit facili nocte dieque manu:
Ergo dum fluuiis Mugil versatur in vndis,
Astutus mediis & Melanurus aquis.
Atque Astræa vagam librat dum pondere lancem,
Seruet quo placidos, conterat atque reos.
Inclyta florebit meritorum fama tuorum,
Qua sol Eois splendet & Hesperiis.

Ita ... Curtio, qui Clementis Pontificis Medicus fuit, scribit Paulus Iouius lib. 32 historiarum. Iocatique summa libertate nonnulli, gratias agerent Curtio Medico, qui firma utentem valetudine, innatoque membrorum robore praeualidum, in multa spe longioris vitae nouis praeceptis, et commutata vitae ratione dubio procul occidisse credebatur:

MATTHAEI

MATHEI CVRTII AD TYRVNCVLOS dosandi methodus.



CVPIENS dare Iuuenibus breuem practicandi modum, decreui aliqua de modo dosandi dicere, circa quæ tria faciam: Primo dicam de modo dosandi syrupos: Secundo dicam de dosi medicinarum simpliciū solutiuarum & compositarum: Tertio de electuariis, clysteribus, & aliis ad actum practicū facientibus. De syrupis primo dico, quòd communiter Practicantes dant vnciam vnā & mediam syrup. & aquarum vnc. 3. in dupla scilicet proportione ad syrupū, quandoque tamen dant vsque ad vnc. 2. syrup. Nec me latet, quòd Gherard. de solo voluit, quòd dentur vnc. 4. syrupi, & vnc. 6. aquarum, & in hanc sententiam cōcurrit Matheus de gradibus super nono Almāsoris, communis tamen sententia est, quòd dentur vncia vna & media syrup. & 3. aquarum: qui modus sumitur à Galeno primo Reg. acut. comment. 42. nec alibi reperitur. Concludamus ergo, quòd communiter Practicantes dant vnc. vnam & mediam,

vel vnc.duas ſyrupi,& tres aquarum: & hoc habet veritatem, ſiue vnus, ſiue duo dentur ſyrupi, ſiue etiam tres: Nam quandoque habemus vnam intentionem, quandoque duas, quandoque tres. Exemplum primi, ſi intentio Medici fuerit alterare malam complexionem calidam dabit vnc. vnam & mediam ſyrupi end. & vnc. tres aquæ endi. Exemplum ſecundi, ſi intentio Medici erit ad duo, v.g. ad remouendam malam complexionem calidam,& ad aperiendum, tunc ratione remotionis malę complexionis calidæ dabimus ſyrup. de endi. cum aqua endi. ratione autem apertionis dabimus ſyrup. biſantinum cum aqua fœniculi, ſic ordinando. Recipe ſyrup. de endi. vnc. vnam, ſyrupi biſantini vnc. mediam, aquarum endiuiæ vnc.duas, fœniculi vnc. vnam, miſce & fac ſyrupum. Exemplum tertii, ſi intentio Medici fuerit ad tria, v.g. ad remouendam malam complexionem calidam, & ad aperiendum,& ad incidendum, tunc dabimus tres ſyrupos, ſcilicet de endiuia ad remouendam malam complexionem calidam cum aqua endi. pro apertione biſantinum cum aqua fœniculi, pro inciſione acetoſum cum aqua acetoſæ, ſic ordinando.

Recipe	(ſyrup. de endi. (ſyrup. biſantini (ſyrup. acetoſi.	an. vnc. mediam
Aquarum	(endiuiæ (fœniculi. (acetoſæ.	an. vnc. vnam.

Miſce & fiat ſyrupus

Nota, quòd plurimum aqua proportionatur ſyrupo, aliquando tamen cogitur Medicus vt remoueat

malam

malam complexionem calidam, vel frigidam syruporum exhibere aquas nō proportionatas syrupis, exempli gratia, si ordinauero syrupum de epithimo, vel de stecade, ordino cum istis syrupis aquam tendentem ad frigiditatem, vtputa, violarum, vel endi. vt remoueatur mala complexio calida syruporum, licet aquę non sint proportionatæ syrupis, quia syrupi sunt calidi, & aquæ frigidæ, ista tamen relinquantur iudicio Medici. Notandum tamen est, quòd sicut exemplum dedi de istis, possumus per alios syrupos, & per alias aquas discurrere secundum quòd Medico videbitur. Notandum etiam, quòd semper possumus ponere aquas cordiales in syrupis, vt confortetur virtus regitiua & vitalis, quæ residet in corde, sicut Rex in regno, vt est omnium illustriss. Medicorum sententia. Concludamus ergo, quòd in ordinando syrupos, non debemus ordinare nisi vnciam vnam & mediam syrupi, vel vnc. duas ad plus, raro tamen, vel syruporum: & vnc. tres aquæ, vel aquarum, exempli gratia sic dicendo. Recipe syrupi de endiuia, syrupi acetosi, & mellis ros. col. an. vnc. med. aquarum endiuię, acetosę, absinthii an. vnc. vnam, misce & fiat syrup. pro vna vice, & sicut exēplificaui in istis syrupis & aquis, ita & de aliis.

Syrupi digerentes materiam cholericam.

Hepar.

Syrup. de endiuia, succo endiuiæ, cicorea.

Cor.

Syrup. de succo acetosæ, de acetos. citri, de buglossa.

Pectus.

Syrup. violatus, iuiubinus, iuleb violatum.

Stomachum.

Syrup nenupharinus, de portulaca, de mirto, iuiub

Mes. rosatum, acetosus simp. de oxisacharo.

Caput.

Syrup. rosatus, de granatis, violatus, de papauere, nenupharinus, rosatus, de buglossa.

Aquę digerentes materiam cholericam.

Hepar.

Aq. endiuiæ, epaticæ, cucurbita, cuscute, cicoreæ solatri, plantaginis.

Cor.

Aq. acetosæ, buglossę, boraginis, violarum, nenupharis rosarum, cicoreæ.

Caput.

Aq. lactucæ, nenupharis, sem. co. frig. papaueris rosarum.

Stomac.

Aq. acetosæ, rosarum, plantaginis.

Pectus.

Aq. violarum, portulacæ, de iuiubis, iuleb violatum, nenupharis sem. co. frig. buglossæ.

Syrupi digerentes materiã melancholicam.

Caput.

Syrup. de bisantiis, de lupulis, de stechade, de betonica

Hepar & Splen..

Syrup. de epithimio, de lupulis, de fumo terræ, de borag. buglossæ, de bisantiis, oximel simp. cõp. squil.

Cor.

Syrup. de pomi comp. de sapor, de sapa, de bisantitiis, de thymo, de epithimo, boraginis, buglossæ.

Stomachum.

Syrup. bisantinus.

Aquę

Aquæ digerentes materiam melancholicam.

Hepar.

Aq. lupulorum, de fumo terræ, de buglossa.

Splen.

Aq. scolopendriæ epithimi.

Cor.

Aq. boraginis, & buglossæ.

Syrupi digerentes materiam flegmaticam.

Cerebrum.

Syrup. lupulorum, florum sambuci, genistæ, de stecha de, de duabus radicibus.

Stomac.

Syrup. de menta, mellis ros. col. oximel simp. oximel comp. de absinthio, squill.

Hepar.

Syrup. de duabus radicibus, de eupatorio, acetosus diarodon, acetosus compo.

Cor.

Syrup. bysantinus, de cortice citri, de pomis compo. de borag. de buglossa, mel. ros. col. omnia oximelia

Pectus.

Syrup. de bisantitiis, de thimo, acetosus de prima rad. de liquiritia, de hysopo, de calamento, de prasii oximel simplex, compo. squill.

Matrix.

Syrup. de matricaria, de artemisia.

Aquæ digerentes materiam phleg.

Stomac.

Aquæ absinthii, mētæ, ruthæ, apii, camomillæ, fęniculi.

Pectus.

Aq. capillorum veneris, hyſſopi, prasſii, bugloſſæ.

Caput.

Aq. maioranæ, ſaluiæ, roriſmarini, betonicæ.

Hepar.

Aq. prasſi, ſcabioſæ, eupathorii, ſaluię, apii, fœniculi, abſinthii.

Renes, & veſicam.

Aq. aſparagorum, agrimoniæ.

Cor.

Aq. mellis, agrimoniæ, aſparagi.

Matrix.

Aq. artemiſiæ, pulegii, rutæ, matricariæ.

Digeſtiua ſanguinis non ponuntur, quia ſanguinis cum putreſcit, tranſit in choleram. Satis ergo eſt poſuiſſe digeſtiua aliorum humorum. Sunt tamen nonnullæ, quæ ſanguinem purificant. vt

Aq. capillorum veneris, abſinthii, lactucę, lupulorum, boraginis, lactis caprini, fumiterræ, bugloſſæ, ſucci roſarum, cicoreæ.

Medicinæ purgantes choleram.

Nunc principaliter dicamus de doſi medicinarum ſolutiuarum. Et primo de ſimplicibus, ſecundo de compoſitis. Medicinæ ſimpl. choleram ſoluentes, ſunt rhabarbarum cal. & ſiccæ complexionis in ſecundo g. Cuius doſis in ſubſtantia apud communiter practicantes eſt drag. tres, vel drag. tres & med. cum ſpica, vel ſquinanto eius correctiuo. Exempli gratia. Recipe rhabarbari electi drag. tres, vel drag. tres & med. ſpicæ vel ſquinanti drag. vnam, puluerizentur omnia

omnia subtiliter, & cum decoctione florum & fructuum fiat potus, cui adde syrupi violati vnc. vnam. Notandum est, quòd si velles dare hāc medicinam in fluxibus, debes facere hanc decoctionem in rebus stipticis, vtputa cum decoctione facta ex granis myrti, sumach, sem. plantaginis, acetosæ, mirabolanorum, in aqua plantaginis. Dosis rhabarbari in infusione est drag. sex vel septem cum eius correctione, vt, Recipe rhabarbari electi drag. sex vel septem, spicæ, vel squinanti m. vnum, contundantur omnia grosso modo, & infundantur per vii. horas in suff. q. vini odoriferi, deinde fiat omnium fortis expressio, & cum decoctione florum & fructuum fiat potus, cui adde syrupi violati vnc. vnam.

De Manna.

Manna conueniens dosis, quæ complexionis æqualis est, plus tamen ad caliditatem declinans, est vnc. duæ, vel vnc. duæ & med. vt, Recipe mannæ electæ vnc. duas, vel vnc. duas & med. dissoluatur cum decoctione communi florum & fructuū, & fiat potus.

De Cassia.

Cassia æqualis complexionis ad latus caliditatis declinantis humidaq; in primo dosis est, drag. xi. vel xii. vt, Recipe cassiæ nouiter extractæ, bonæ & pinguis drag. xi. vel xii. dissoluantur cum decoctione florum & fructuum, & fiat potus: cui adde syrupi violati vnc. vnam: & si volueris dare eam in forma boli, sic ordinetur. Recipe cassiæ nouiter extractæ drag. xi. vel xii. & cum zuccaro fiat bolus.

De Scamonea.

Dosis scamoneæ, quæ est calida & sicca in tertio est g. vii. vel viii.

De Tamarindis.

Dosis tamarindorum, secundum Mesuem est ab vnc. ii. ad v. in infusione vel decoctione, vt, Recipe tamarindorum vnc. duas, infundantur in vnc. x. aquæ lactis, & bulliant ebullitione vna, & fricentur manibus, & exhibeantur, siue colata siue non, & eorum complexio est frigida & sicca in secundo.

De Aloe.

Aloes cal. in secundo, sicc. in tertio, dosis in substantia est drag. vna, in infusione autem drag. duæ.

De succo Rosarum.

Dosis succi rosarum frig. in primo, sicci in secundo, vel in infusione ipsarum recentium, est ab vnc. vna vsque ad vnc. duas cum zuccaro: numero dosis est ab vnc. duabus vsque ad quinque.

Nunc dicamus de medicinis purgantibus & educentibus phlegma: & primo de Agarico, qui est calid. in primo, & sicc. in secundo. Cuius dosis in substantia est dragma vna, vel vna & med. cum suo correctiuo, scilicet cum tertia parte salis gemmæ scrupu. vno puluerizato & dissoluto cum decoctione florũ & fructuum & fiat potus, cui addatur mellis ros. col. vnc. vna. Dosis Agarici in infusione est à drag. vna & med. vsque ad duas, exempli gratia. Recipe Agarici drag. vnam & med. vel drag. duas, salis gemmæ scrupu. duos, puluerizentur & infundantur per septem horas in suff. q. oximelis simp. deinde fiat omnium fortis expressio, & cum decoctione florum & fructuum fiat potus, cui adde mel. rosa. cola. vnc. mediam.

De Turbit.

Dosis Turbit calid. in tertio, in substantia & in infusione est sicut Agarici, correctiuumque ipsius est in Zinziberis secunda pars.

De

De Coloquintide.

Dosis coloquintidis, quæ est calida & sicca in tertio est à kirach vi. vsque ad decem, eius correctiuum, secundum Mesuem, est mastix.

De Emblicis.

Emblicorum dosis in substantia est ab aureis duobus vsq; ad tres: in infusione verò à tribus vsq; ad sex, quorum cõplexio est parum frig. sicc. in primo ordine.

De Bellericis.

Bellericorum dosis est sicut dosis emblicorum, & cidoniorum.

De Euphorbio.

Euphorbii, quod est calid. & siccum in secundo, dosis est, secundum Mesuem, à mirach. vno vsque ad tres, secundum alios autem à g. iiii. vsque ad xii. & corrigitur cum mastice, & spica.

De Hermodactilis.

Dosis hermodactilorum, quorum complexio est calida & sicca in primo, ad secundum est à drag. duab. vsque ad v. aut plus secundum fortitudinem patientis corrigitur cũ aqua mellis, aut lactis, spica, aut mastice.

De succo Cucumeris asinini.

Dosis succi cucumeris asinini, qui est calidus & siccus in tertio, est à g. x. vsque ad scrupu. vnum, dosis pulueris eius radicis est à gr. vsq; ad drag. iiii. corrigitur & pręparatur adiungẽdo ei aliquid de dragagãto.

De Serapino.

Dosis serapini est à drag. med. vsque ad aureum, datur cum aqua rutæ, aut endiuiæ.

De Opoponace.

Opoponacis, cuius complexio est calida & sicca in tertio, radix vero ipsius in secundo, dosis est ad drag. vnam vsque ad ii.

De Meſereon.

Doſis ipſius, ſecundum Meſuem, eſt à drag. quinq; vſque ad vnc. vnam, & in concoctionibus & pulueribus kirach ii. vſque ad v. eius malicia frangitur infundendo per diem vnum in aceto, aut lacte dulci, aut acetoſo. Extinguitur eius malitia cum malignitate ſua, cum ſucco portulacæ, & propriè cum ſucco endiuiæ, ſecundum Meſuem cap. primo. Mirabolani etiam frangunt virtutem eius.

Medicinæ purgantes melancholiam.

Nunc dicamus de medicinis ſoluentibus melancholiam, & primo de Mirabolanis Indis, quorum complexio frigida in primo, & ſicca in ſecundo, quorum doſis in ſubſtantia eſt à drag. ii. vſque ad iiii. in infuſione vero à iiii. vſque ad x. educunt melancholiam & choleram aduſtam.

De lapide Lazuli.

Doſis lapidis Lazuli, ſeu ſtellati abluti eſt à drag. vna vſque ad duas, corrigitur & pręparatur ſuper lapidem, vel in mortario lapideo teritur & lauatur trecies cum aqua, & ſic ſimiliter vtendo lauetur decies cum aqua roſata, & adminiſtretur cum aqua bugloſſæ, & vino odorifero: eius complexio calida eſt in ſecundo & ſicca in tertio.

De lapide Armeno.

Lapis armeni calid. in primo datur ſicut lazuli, & ita præparatur & corrigitur.

De Sena.

Doſis Senæ in infuſione & potione eſt ab aureis iii. vſque ad drag. vnam, ſecundum Meſuem, in pluribus: ſecundum alios autem eſt à drag. duabus vſq; ad drag. quinque

nque, corrigitur & præparatur, ſi addatur tantun-
n zinziberis, aut ſalis gemmę, & ſic adminiſtratur:
ur cũ aqua decoctionis florum boraginis, bugloſſę,
ctilorum, macis, & cardamomi: & poteſt decoqui
magna quantitate cum brodio carnium, vel pulli
ſque trituratione, & brodium illud ſine moleſtia o-
ratur cum incidentibus & aperientibus, ſicut cum ſe
nibus fœniculi, aniſorum, dauci, zinziberis, cinamo
, & gariofilorum: & quandoq; adminiſtratur cum
ua mellis, aut cum decoctione paſſularum. Eſtque
na calid. in principio ſecundi, & ſicca in primo: fo-
a autem eius calida ſunt in primo.

De Epithimo.

Doſis Epithimi in puluere eſt à drag. tribus vſquę
d drag. vii. potus eius in decoctione eſt à drag. v. ad
ſed non ſumatur in quantitate, & parum ſuſtinet de-
ctionem: corrigitur ſi addatur tertia pars ſalis gem
æ, vel ſalis Indi, & debet incorporari cum oleo amig
alino dulci, & quandoque adminiſtratur cum deco-
tione mirabolanorum, mellis, & paſſularum. Eius
omplexio calida eſt & ſicca in ſecundo, ſecundum ve
o Gal. calid. eſt in tertio.

De medicinis ſolutiuis compoſitis.

Reſtat videre modum de doſi medicinarum ſoluti-
uarum compoſitarum, pro quo primo eſt notandum,
quòd in qualibet medicina ſolutiua debemus adhibe-
e aliquid quod habeat vim confortandi cor, quia eſt
ententia omnium illuſtrium Medicorum, præcipuè
Meſ. in correctione medicinarum cap. de debilitate ſto
machi poſt purgationem cap. decimo, can. tertio, in-
quit, Non prætermittas aliquo modo quin conforte-
tur

tur cor, qui eſt theſaurus vitæ. Secundo nota, quòd quando volumus euacuare ab aliquo membro particulari, debemus euacuare cum illa medicina ſolutiua, quæ reſpicit illud membrum, vel debemus ponere cũ medicina ſolutiua aliquid directiuum ad membrum, vtputa, ſi velimus euacuare à capite, debemus ponere in decoctione flores ſtechados arabici, & facere decoctionem in aqua capitali, vt eſt aqua bethonicę, vel ſaluiæ: & ſicut dico de capite, ſic debet intelligi de aliis membris. Tertio nota, quòd ſolutiue compoſitæ ſunt in duplici doctrina, nam quædam ſunt lenitiuæ & vacuant leniendo, quædã fortes & educunt attrahẽdo, & iſta attrahẽtia ſunt fortiora, vt inferius declarabimus.

De medicinis lenientibus.

Diaprunis non ſolutiuus valet in materia cholerica, manna, & caſſia: ſimiliter in materia cholerica, quanuis & in aliis, & iſta ſunt ſimplicia elect. de ſebeſten, diacatholicon, diacaſſia, hæc valẽt in oĩ materia.

De ſolutiuis compoſitis choleræ.

Diaphenicon, electuarium de ſucco roſarum, elect. roſa. Meſ. Diacidonium chologogum, electuarium de pſilio, diaprunis ſolut. diaroſa. cum rab. elect. de eleſcoph, elect. Indum, diaroſa. cum turbith.

De ſolutiuis compo. melancholiam.

Confectio hamech, puluis ſenæ præparatæ, diaſenæ Nico. Quarto nota, quòd in conficiendo medicinam ſolutiuam, ſemper debes ponere lenitiuum ſuum, ſicut

est sententia Io. Mes. de compilatione medicinarum cap. 1. Inquit .n. lenitas nempe medicinis associata, & propriè violentarum virtutum ipsas ad latus incolumitatis declinare facit. Dosis lenitiuarũ est à drag. quatuor, vsq; ad drag. vi. & ponimus drag. quatuor, vel quatuor & med. ad plus solutiui fortis cum lenitiuo, exempli gratia. Si voluero ordinare medicinam euacuantem choleram, sic dicam, Recipe diacatholiconis drag. v. diapheniconis drag. vnam, elect. de succo ros. drag. duas, electuari de psilo semi. drag. misce, & cum decoctione florum & fructuum facta in aqua endiuiæ & buglossæ fiat potus, cui adde syrupi violati vnc. vnam. Ecce quomodo ibi drag. v. lenitiui, & drag. tres & med. solutiui fortis adsunt, & virtus huius medicinę dirigitur ad hepar, & respicit cor mediante decoctione facta in aquis appropriatis. Si voluero euacuare materiam phlegmaticam, sic dicam. Recipe diacatholiconis drag. v. electuarii Ind. drag. duas, diapheniconis drag. vnam & med. misce, & cũ decoctione florum & fructuum facta in aqua buglossę & fœniculi fiat potus, cui adde mellis ros. col. vnc. med. Si autem intentio mea fuerit euacuare melancholiam, sic dicam. Recipe diasenæ lenitiui drag. v. confectionis hamech drag. duas, diasenæ Nico. drag. vnam & med. misce, & cum decoctione florum & fructuũ facta in aqua scolopẽdrię & buglossę fiat potus, cui adde syrupi violati vnc. vnã: & sicut dico de his solutiuis, ita poteris facere medicinas ex aliis solutiuis.

De medicinis, quibus communiter Practicantes vtuntur.

Nunc intendimus ponere aliquas, quibus communiter

niter practicantes vtuntur, & primo dicam de medici nis compositis choleram soluentibus.

Potio Rhabarbari in infusione.

Recipe rhabarbari boni & electi scrupulos tres, spicæ scrup vnum, incidantur minutim & terantur, deinde infundantur per septem horas in suff. q. vini odoriferi in hyeme, in estate autem in aqua end. postea fiat fortis expressio, in qua dissolue diacatholiconis, vel mannæ, vel cassiæ drag. v. elect. de succo ros. drag. duas elect. de psilio drag. vnam, misce, & cum decoctione florum & fructuum facta in aqua buglossę & endiuiæ fiat potus, cui adde syrupi violati vnc. vnã.

Potio Rhabarbari in substantia.

Recipe Rhabarbari drag. duas, spicæ scrup. vnum & med. puluerizentur subtiliter, quibus adde diacatholiconis, aut alterius lenitiui drag. v. confectionis de dactilis elect. de succo ros. an. scrup. duos, & cum decoctione florum & fructuum fiat potus, cui adde syrupi violati vnciam vnam.

Potio alia Rhabarbari in cura dissenteriæ.

Recipe corticum mirabolanorum citrinorum leniter tostorum drag. rres, terantur grosso modo, & cũ vnc. viii. aquæ plantaginis fiat decoctio vsque ad consumptionem medietatis, in qua dissolue rhabarbari torrefacti & puluerizati dragmas duas, squinanti scrup. vnum & med. misce cidoniorum vnc. vnam, & fiat potus.

Potio

Potio alia Rhabarbari in cura dissenteriæ.

Recipe corticum mirabolanorum citrinorum chebulorum an. vnc. vnam & med. terantur grosso modo, & cum vnc. viii. aquæ plantaginis fiat decoctio vsque ad consumptionem medietatis, in qua dissolue rhabarbari torrefacti & puluerizati drag. duas, squinanti scrup. vnum, miue cidoniorum sacharatę vnc. vnam, & fiat potus.

Potio Mirabolanorum in infusione.

Recipe mirabolanorum citrinorum drag. quatuor, spicæ scrup. med. puluerizentur & infundantur per sex horas in vnc. vna & med. decoctionis passularum, deinde fiat fortis expresio, in qua dissolue elect. de succo rosf. vel diaprunis solutiui drag. tres, casiæ electæ vel mannæ drag. sex cum decoctione florum & fructuum in sero caprino fiat potus, cui adde syrupi violati vnciam vnam.

Potio Mirabolanorum in substantia.

Recipe mirabolanorum citrinorum drag. duas, spicæ g. v. torrefiant aliquantulum super laminam fereā calidam, & subtiliter puluerizentur, & cum vino cidoniorum, vel syrup. mirtino ad vnc. ii. & aqua plantaginis quantum sufficit fiat potus.

Potio familiaris & vsitata.

Recipe casię nouiter extractæ, vel mannę, vel diaprunis non solutiui drag. sex, elect. de succo rosf. vel dia-

diaprunis ſolu.drag.iii. & med. & cum decoctione flo rum & fructuũ fiat potus,cui adde ſirupi violati vnc,i.

Potio alia vſitata.

Recipe Rhabarbari electi drag. vnam, ſpicæ ſcrup. vnum, pulueri zentur groſſo modo & infundantur per ſeptem horas in ſuff. q. aquæ endi. in eſtate, in hyeme vero in vino odorifero albo. Item recipe agarici electi drag. vnam,ſalis gemmæ ſcrup.vnum, pulueri zentur groſſo modo, & infundantur per ſeptem horas in ſuff. q. oximelis ſimplicis, deinde fiat omnium fortis expresſio, in qua diſſolue mannæ electæ vnc. vnam, confect.de dactilis,elect.de ſucco roſ. an.drag.vnam, miſce & fiat potus, cui adde ſirupi violati vnc. vnam.

De medicinis compoſitis ſoluentibus phlegma.

Nunc dicamus de medicinis compoſitis ſoluentibus phlegma, & prius de Agarico in ſubſtantia. Recipe Agarici albi, leuis, & frangibilis drag. vnam, ſalis gemmæ, zinziberis an.ſcrup. med. quibus adde mannæ,vel diacatholiconis drag.v. electua. Indi,miſce,& cum decoctione florum & fructuum & paſſularum facta in aqua meliſſæ & fœniculi fiat potus,cui adde mel lis roſati collati vnc.vnam.

Potio Agarici in infuſione.

Recipe Agarici ſcrup. iii. zinziberis, ſalis gemmæ an. ſcrup. med. pulueri zentur in ſuff. q. vini albi odoriferi,vel oximelitis ſimplicis, vel aliqua aqua ex dige ſtiuis phlegmatis, deinde fiat forris expresſio, in qua

diſſolue

dissolue cassiæ electæ, vel mannæ, vel alicuius alterius electuarii lenitiui drag. v. electuarii Indi drag. ii. & cum decoctione florum & fructuum facta in aqua melissę & fœniculi fiat potus, cui adde mellis rosati collati vnciam vnam.

Potio Turbith in infusione.

Recipe Turbith boni, mundati, & mediocriter triti scrup. iiii. zinzib. scrup. elect. Indi scrup. ii. vel ii. & med. terantur & infundantur per horas viii. in suff. q. vini albi odoriferi, vel in decoctione passularum, vel in aliqua ex aquis digestiuis phlegmatis, deinde fiat fortis expressio, in qua dissolue cassiæ nouiter extractæ, vel mannæ, vel alterius lenitiui drag. v. electuarii Indi drag. ii. misce, & cum decoctione prædicta fiat potus, cui adde mellis rosʃ. collati vnc. vnam.

De medicinis cōpositis melancholiā soluētibus.

Recipe cassiæ nouiter extractæ vnc. vnam, confectionis hamech drag. iii. misce, & cum saccharo fiat bolus.

Alia potio.

Recipe diacatholicorum, vel diasenę lenitiui drag. xi. diasenæ Nico. drag. iii. & med. misce, & cum decoctione florum & fructuum epithimi, foliculorum se næ facta in aqua boraginis fiat potus, cui adde sirupi violati vnc. vnam. Et nota, quòd medicina in forma boli potest fieri in quacunque materia siue cholerica, siue phlegmatica cū lenitiuis & solutiuis apropriatis. Nota, quòd dosis lenitiui & solutiui potest aliqualiter

augere & diminui, ſecundum fortitudinem & debilitatem tam ægrotantis, quàm medicinæ.

De Pilulis.

Reſtat iam dicendum de Pilulis. Doſis pilularum, ſecundum communiter Practicantes, eſt drag. vna, & plus vel minus, ſecundum materiam ſimplicium ingredientium ipſas, & ſecundum fortitudinem & debilitatem morbi, & virtutem patientis, quia aliquando acuimus ipſarum virtutem cum diagridio, vt, Recipe pilularum aggregatiuarum ſcrup. ii. diagridii g. ii. bene pulueri zati, miſce, & fac pilul. numero v. vel plus, vel minus, ſecundum fortitudinem & virtutem, vt ſupra, relinquitur autem hoc periti Medici.

Pilulæ choleram euacuantes.

A capite.

Pilulæ Aureæ Meſ. ſiue quibus Nic. Arabicæ Meſ.

Ab epathe.

De Rhabarbaro Meſ.

A toto.

Aggregatiuæ.

Pilulæ euacuantes phlegma.

A capite.

De hiera cum agarico, ſiue hiera Nico. Cocchie Almanſo. De hiera ſimp. Gal. Fetidæ Nic. & Meſ. ſiue quibus Nic. De opoponace Meſ. De euphorbio Meſ. Arabicę Nico. Aſſaiareth Bar. Mō.

A pectore.

A Pectore.

De Agarico Meſ. Agaricus trociſcatus.

A Stomacho.

Elephanginæ Meſ. De Maſtice Meſ. Stomaticę Meſ. De Maſtice Cono.

A iuncturis.

De hermodacti. Meſ. De ſerapino Meſ. Arteticę Nic.

Ab hydrope.

Alletereon.

Ab oculis.

Lucis Meſ:

De pilulis euacuantibus melancholiam.

Ab hepate, & ſplene.

Indæ Meſ. De fumo terræ. De lapide lazuli. De lapide Armeno.

Nota, quòd ſi non habuero præparatas pilulas ab aliquo membro euacuãtes, accipiam pilulas ab aliquo membro euacuantes cum aliquo directiuo ad illud mẽbrum, à quo vellem euacuare. Nota item, quòd pilulæ, quæ dantur ad minorationem materiæ, debent dari in minori doſi, quam dantur ad eradicationem, vnde cum dantur ad eradicationem datur drag. i. ſufficit autem ad minorationem ſcrupu. duos.

De medicinis non ſolutiuis.

Nunc tria principaliter dicamus de doſi medicinarum non ſolutiuarum: & primo de elect. & confect. & etiam de aliis ſequentibus. Electuarium differt à cõfect. nam electuarium fit ex ſaccharo, vel melle, aut

ſyrupo: confectio verò fit ex ſaccharo ſolum diſſolutum in aliqua aqua: dicitur electuarium quaſi ex pluribus electum: confectio autem quaſi cum aliis factio vel compoſitio. Nota diligenter, quòd in compoſitione electuariorum pro qualibet lib. zucha. vel mellis, aut ſyrup. antiquitus ponere ſolebant drag. iii. pulueris: nunc autem Aromatarii pro qualibet libr. zucch. vel mellis, vel ſyrupi, ponunt in electuariis vnc. ii. pulueris, & hoc faciunt vt electuaria ſint magis guſtui delectabilia. In confectionibus ſolidis Aromatarii noſtri temporis pro lib. zuccha. in confectionibus drag. vi. pulueris, ita quòd pro drag. i. pulueris dant vnc. ii. zucchari. Antiquitus verò ſolebant in lib. zucchari ponere drag. iii. pulueris, exempli gratia, Si voluero ordinare electuarium ſecundum antiquos, ſic dicam. Recipe ſpecierum aromatici roſ. ſpecierũ diarodonis abbatis an. vnc. med zucchari diſſoluti in aqua roſ. lib. vnam, fit cõfectio ſolida in rotulis. Exemplum ſecundum Aromatarios noſtri temporis. Recipe ſpecierum aromatici roſarum, ſpecierum diarodonis abbatis an. vnc. iiii. zucchari diſſoluti in aqua roſ. fiat confectio in forma ſolida in rotulis. Nota inſuper, quòd doſis communis electuariorum eſt à drag. iii. ad drag. iiii. ſequendo de elect. non ſolutiuis. Doſis verò communis confectionis nõ ſolu. eſt à drag. quattuor ad drag. quinque, & plus & minus ſecundum diuerſas relationes. Nota etiam, quòd electuaria & cõfectiones non ſolut. debent dari ante cibum per duas horas, & hoc eſt conſuetudo apud Practicantes: & hoc habet veritatem de elect. confortantibus ſtomachum: electuaria verò confortantia caput debent exhiberi poſt cœnam per horam ad quantitatem fabæ. Reſtat modo videre de electuariis, & confectionibus appropria-

tis

tis vnicuique membro particulari.

Electuaria calida confortantia caput.

Pliris aromaticon, Aurea Alexandrina, Theriaca fermentata, Mitridatum, Diaconis, Dialibanus.

Diacaſtoreum, Diarrhodon, Zuccharum viol. Theodorinum, Confect. anacardina, Confectio de muſco, Diambra, Acori conditi, Zuccharum roſatum, Loch de papauere, Cōſeruam florum nenu. Chebuli cōditi.

Electuaria calefacientia Splenem.

Diacalamentum, Conſeruæ ſaluiæ, Conſeruæ florum ſtechados.

Loch de ſquilla, Dialiſophos, Dianthos.

Conſeruæ florum roriſmarini, Loch ſanum & expertum, Loch de pulmone vulpis.

Electuaria calefacientia Cor.

Electuarium de gemmis, Confectio de ziloaloes, Aromaticum muſcatum.

Gallia muſcata, Diamargariton, Confectio de muſco, Electuarium lætificans, Confectio de cino.

Cortices citri conditi, Dianthum ſeu Dianthos, Cōditum de bugloſſa, Cōſerua bugloſſæ, elect. de pomis.

Electuaria calefacientia Stomachum.

Theriaca fermentata, Diaciminum, Diamuſcum, Roſata nouella.

Diazinziber, Diatriō pipereō, Mitridatū, Diagalāga

Aromaticum rosatum, Aromaticum nardinum, Zinziber conditum.

Electuaria calefacientia Hepar.

Diaciminum, Diacalamentum, Diacinamomum, Diacostum.

Electuaria calefacientia Matricem.

Diacalamẽtũ, Trifera magna, Cõfectio de acetosis. Confectio de xiloaloe, Diambra, Electuariũ ducis. Diacinamomum, Electuarium dulce.

Electuaria calefacientia Iuncturas.

Confectio anacardina, Conserua rorismarini, Conserua florum stichados.
Diacorus, Acori conditi.
Diazinziber, Conserua saluiæ.

Electuaria infrigidantia pectus.

Zuccharum violatum, Diagragantum frigidum. Loch de furfure simplic. Diapapauer. Diapenidion sine speciebus calidis.

Electuaria infrigidantia Cor.

Zuccharum rosatum, Triasandali, Manus crist. Diagalanga, Diacurcuma, Diabuglossatnm. Diarrhodon abbatis, Confectio de acetosis, Dialacca.

Electua-

Electuaria infrigidantia Hepar.

Zuccharum rosatum, Triasandali.
Trifera magna, Zuccharum violatum.
Diacoston, Diacoppon.

Electuaria infrigidantia Splenem.

Triasandali, Zuccharum violatum, Zuccharum rosatum.
Conseruæ florum stichados, Diarrhodon.

Electuaria infrigidantia Stomachum.

Zuccharum rosatum, Zuccharum violatum.
Diarrhodon descriptione communi, Diacitonion sine speciebus.

Electuaria infrigidantia Iuncturas.

Diarrhodon, Succum rosatum.
Zuccharum violatum, Triasandali.

De Trociscis.

Restat modo videre de Trociscis: est autem Trociscus rotunda compositio cum quadam depressione ad similitudinem magni lupini, communis dosis trociscorum præter eos, qui oppiati sunt, est à drag. vna & media, vsque ad drag. ii. licet sit melius non transcendere vi. Trocisci autem apertiui non debent exhiberi vltra quantitatem scrup. vnius, aut drag. med. Medicina sub forma trociscorum diutius conseruatur,

quàm ſub forma pilularum, aut electuariorum, aut cõfectionum, aut coctionum: exempli gratia, ſi voluero ordinare compoſitionem vnam trociſcorum, ſic dicam. Recipe maſticis cinamomi electi, gariofiiorum, coriandrorum præparatorum, calami aromatici an. drag. med. fiant trociſci cum ſyru. de mentha, vel cum aliqua aqua appropriata intentionem Medici, dummodo pondus vnius trociſci non excedat drag. med. & debent exſiccari in vmbra. Vnde ſi voluero ordinare pilulas, ſic dicam. Recipe trociſcorum ſupra ordinatorum drag. vnam, pulueriżentur, & cum zuccharo diſſoluantur in aqua menthæ, aut in aliqua aliá ſecundum intentionem, & fiat confectio in rotulis trium dragmarum pro qualibet, ſimiliter dicã de decoctionibus.

De clyſteribus.

Reſtat modo videre de clyſteribus, multiplex auté eſt clyſtere quodam lenitiuum, quod fit in febribus calidis, vt, Recipe florum maluæ, blitis, violarum, mercurialis, hordei an. m. med. fiat decoctio in ſuff. q. aquę ad conſumptionem tertiæ partis, deinde fiat colatura, de qua accipe libr. vnam, caſſiæ nouiter extractæ, zucchari rubri an. vnc. vnam, olei violati vnc. quattuor, vitelli oui nu. i. ſalis drag iii. fiat clyſtere, vel enema. Quoddam eſt clyſtere lauatiuum, quod fit hoc modo. Recipe aquę hordei, vel brodii pulli, in quo decoctum ſit hordei libr. vna, zucchari rubri vnc. i. & med vitelli oui num i. fiat clyſtere ſine ſale & ſine oleo, & fiat poſt exhibitionem medicinæ ſolutiuæ ſcammoneatæ. Quoddam fit clyſtere partim lauatiuum, & partim ſolutiuum, vt. Recipe florum maluæ, cammomillæ an. manip. med. fiat decoctio in ſuff. q. aquæ, de qua accipe lib.

lib. vnam casſiæ nouiter extractæ, hieræ picræ, zucchari rubri an. vnc. med. olei camomelini, aut viola ti vnc. quatuor, ſalis drag. iii. vitelli oui nu. i. miſce & fac clyſtere, vel ſic Recipe brodii pulli, in quo ſit camomilla decocta lib. vna casſiæ, hieræ pigræ, vel benedictæ, zucchari rubri an. vnc. med. mellis roſati col. vnc. ii. olei camomelini, vel violati vnc. iii. ſalis drag. iii. vitelli oui nu. i. miſce, & fac clyſtere: & hæc duo enemata conueniunt febribus calidis, vbi ſit aliqua materia phlegmatica, ventoſa, & bilioſa.

Quoddam eſt clyſtere conſtrictiuum, vt Recipe roſarum rubearum balauſtiorum, hordei torrefacti, granorum myrti an. manip. med. contundantur, & bulliant in ſuff. q. aquę cum caſtrati donec caput ſit coctũ. Deinde fiat colatura, de qua ſumat lib. i. boli armeni, ſanguinis draconis an. ſcrup. i. olei roſa. omphacini vnc. ii. pinguedinis renum caprarum vnc. i. miſce, & fiat enema cum vitello vnius oui aſſati diſſoluti in brodio dicto, & iſtud enema conuenit in fluxu maxime diuretico: poſſunt etiam conſimilia clyſteria multiplicari ſecundum intentionem Medici.

Quoddam eſt clyſtere carminantiuum forte, vt, Recipe rerum carminantiuarum an. manip. med. fiat decoctio in ſuff. quantitate aquæ vſq; ad conſumptionem tertiæ partis: deinde fiat colatura, de qua recipe lib. vnam benedictæ, zucchari rubri an. vnc. i. mellis roſ. col. vnc. ii olei de lilio vel ruthę vnc iii. ſalis drag. iii. miſce, & fiat enema: ſi autem volueris facere fortius, potes addere drag. ii. vel drag. iii. olei de baccis lauri, & iſtud clyſtere conuenit in dolore forti à materia frigida.

Quoddam eſt clyſtere fortisſimum fortisſime reſoluens materiam phlegmaticam, & competit paraliſi,

apoplexiæ, vt Recipe centauri minoris vtriusque sal uiæ,abrotani,calamenti,origani an. m. med. anisi,rorismarini,sebesten,seminis basiliconis maioris an.vnc. med. florum stichados arabici vnc. vnam, pulpæ coloquintidos drag. ii. mellis anacardini, olei de castoreo an. quartam medietatem salis gemmæ drag. i. hieræ picræ,ellebori albi an.drag. vi. bulliant omnia,præter hieram picram in decem libr. aquæ vsque ad consumptionem medietatis, coletur, & colaturæ sumantur v. partes, & addatur hieræ picræ,& iniiciatur. Est enim efficax, proprium, & vltimum. Est aliud clystere commune in quacunq; dispositione leui apud mulieres, vt, Recipe brodii carnium, vel decoctionis mat. violarum, hordei lib. i. zucchari rubri vnc. i. & med. vitelli oui numero vno, olei violati vnc. iii. salis drag. iii. misce,& fiat enema commune. Notandum tamen est,quòd enema potest variari & multiplicari secundũ varias Medicorum intentiones: sed nota,quòd solutiua, quæ ingrediuntur enemata fortia in secunda, sunt doctrina: quædam enim sunt solutiua simplicia, quædam sunt solutiua compositiua: simplicia sunt vt turbith, sal.gemmæ,coloquintis agaricus, & ista ponuntur in decoctione enematum in dosi duarum dragmarum, sal. gemmæ ponitur in quantitate dragm. vna. Composita sunt, diaphenicon, hiera picra, hiera logodion, electuarium de baccis lauri, benedicta, electuarium elescoph, electuarium Indum. De istis possumus ponere vnciam vnam, aliquando plus, aliquando minus, secundum quòd placet Medico. Apparet igitur dosis clysteriorum, decoctio enim cõmunis est vnc. xii. Possumus tamen ascendere ad vnc. xvi. solutiua simplicia,quę ponuntur in decoctione,non debent transcendere drag. iii. Solutiua autem composi-

ta

ta debent poni ab vnc.med. ad vnc.vnam & mediam, aliquando ad vnc. duas: oleum debet esse vnc. iii. sal debet esse drag. iii. & hæc de dosi clysteriorum.

De Epithematibus.

Epithema est medicina composita ex aquis destillatis speciebus, quæ mediante panno lineo, vel laneo applicatur membro infuso in aquis prædictis. Vnde licet Epithema possit cuilibet membro applicari, tamen communiter tribus applicatur membris, cordi, hepati, & renibus. Dosis epithematum quantum ad aquas communiter est vnc.xii. Dosis verò specierum communiter est drag. vna & med. licet aliquando Practicantes plus ponant, exempli gratia, Si voluero ordinare Epithema cordiale, sic dicam. Recipe aquæ ros. buglossæ, melissæ, acetosæ an. vnc. iii. pulueris pro epithemate cordiali drag. vnam & med. vel drag. ii. croci parum, vini maluatici vnc. i. misce, & fiat epithema pro corde. Pro hepate sic dicam. Recipe aquarum ros. endiu hepaticæ, solatri an. vnc. iii. sandali rubri drag. vnam & med. vel drag. ii. aceti vnc. vnam, misce, & fiat epithema pro hepate. Et nota, quod idē epithema potest applicari renibus, & sic apparet dosis epithematum.

De Vnguentis.

Vnguentum est, quod ex oleo, vel oleis, pulueribus & modico ceræ, vel gummi perficitur. Et sciendum, quòd pro qualibet vnc. olei, vel succi, debemus ponere dragmam vnam pulueris, vel ad plus drag. vnam & med. cum modico ceræ. Nota tamen, quòd vnguentum potest habere triplicem formam, nam quoddam est

eſt molle, quoddam mediocre, quoddam groſſum. Vnde ſi voluero ordinare vnguentum ſic dicam. Recipe olei de abſinthio, nardini, olei de mentha an. vnc. vnam, pulueris gariofilorum, maſticis, calami aromatici an. drag. i. ceræ parum, & fiat vnguentum molle, vel ceræ parum, & fiat vnguentum mediocre, vel ceræ quantum ſufficit, & fiat vnguentum groſſum. Notandum eſt etiam, quòd vnguentum poteſt fieri cum gummis, vt puta cum armoniaco ſerapino, ſic dicendo. Recipe olei de mentha, olei nardini, olei de abſinthio an. vnciam i. pulueris gariofilorum, maſticis, menthæ an. vnc. vnam, armoniaci ſerapini diſſoluti in aceto an. q. ſufficit, fiat vnguentũ, & ſic patet doſis vnguentorũ.

De Cerotis.

Cerotum eſt medicina dura, quæ applicatur membro fortiter adherens, vnde differt ab vnguento, quia vnguentum fit cum cera, & fit cerotum cum reſina. Notandum eſt, quòd ſicuti pro qualibet vnc. olei, vel alterius liquoris damus drag. i. pulueris conficiendo vnguentum: ita etiam conficiendo cerotum, exempli gratia, ſi voluero ordinare cerotum, ſic dicam. Recipe olei cidoniorum decoctorum, de mentha an. vnc. i. gariofilorum, maſticis an. drag. i. reſinę quantum ſufficit, & fiat cerotum. Notandum eſt etiam, quòd cerotum eſt multiplex, nam quoddam eſt cerebrale, & fit in forma orbiculari, quoddam eſt ſtomachale, quod fit in forma triangulari, quoddam eſt epaticum, quod fit in forma lunæ, vt hæc figura (quoddam eſt ſpleneticum, quod etiam fit in forma rotunda, vel, vt quidam dicunt, in forma quadrata. Notandum inſuper eſt, quod iſta ſe habent per ordinem vnguẽtum, cerotum,

&

& emplastrum: nam cerotum fortioris oppositionis est, quàm vnguentum: & emplastrum fortioris oppositionis est, quàm cerotum. vnde Medicus debet primum ordinare vnguentem, deinde cerotum, postea emplastrum: & sic gradatim à debilioribus ad fortiora ascendere.

De Emplastris.

Emplastrum est medicina ex multis composita & confecta, quæ aut bullierint, aut contuse fuerint, & secundum propria corpora super membro posita, & in sua substantia. Notandum, quòd primo Medicus volens ordinare emplastrum, non debet puluerizare ingredientia sicut est radix altheæ, camomillę, melliloti: sed ista debet decoqui ad spissitudinem, deinde contundi, quibus contusis debet addi oleum, vel pinguedo conueniens. Notandum secundo, quòd Medicus volens ordinare emplastrum, pro quolibet m. herbarum, vel radicum, debet ponere vnc. vnam & med. olei, vel alterius liquoris, vt butiri, pinguedinis gallinæ, anatis, anseris, porci, & reliqua, exempli gratia. Recipe florum camomillæ, melliloti, sem. aneti an. m. medium, bulliant in aqua ad spissitudinem, deinde contundantur, & cum oleo de camomilla, de aneto, de lilio an. vnciam vnam fiat emplastrum: & sicut dico de oleis, possum etiam dicere de butiro, & de pinguedinibus supradictis.

De Embrocatione & Fomentis.

Embrocatio est casus aquæ ab alto, in qua bullierint herbæ supra membrum læsum, & quilibet m. her-

bæ

bæ vult lib. i. aquæ, & debent decoqui ad consumptio nem medietatis, deinde fiat colatura, & postea embro catio. Ita etiam possemus dicere de Fomentatione, sed fomentatio fit cum spongia madefacta, aut filtro madefacto in prædicta decoctione loco patienti applicata. Et sic Deo duce imponimus huic tractatui finem.

MATHEI CVRTII SENTENTIA, An partus ante septimum Mensem editus, vitalis esse possit, vel ne.

DVo proponuntur nobis dubia determinanda. Primum de puella 170. die ab hora conceptionis nata, an possit esse vitalis. Alterũ an licet omnino vitalis non sit, possit aliquo certo tempore viuere. Pro quibus dissoluendis dicam, in primis apud omnes tam recẽtiores, quàm vetustiores receptum esse, quòd annus sit tempus peregrinationis integræ Solis in circulo signifero, ac trecentum sexaginta quinque dies, & horas sex contineat. Annum quoque in Menses duodecim secari, Græci, Aegyptii, Hebręi, Athenęi, Macedones, Cyprii, Bithinii, Cappadoces, & Romani fatentur: licet menses variis nominibus appellent. Menses aliquando ratione Lunę dicuntur lunares: interdum ratione Solis nomen accipiunt, solaresque dicuntur. Mensis lunaris est tempus ab vno Solis & Lunæ concursu ad alium, qui dies 29. & horas 12. continet. De quo Gal. 3. de diebus decretoriis non longe à principio sic ait. Quòd autem menstruum tempus non omnino triginta diebus cõstet, sed vnius diei ferè dimidio minus Hipp. integro vno libro demonstrauit.

Quin

Quin & vulgus propè vniuersum nouit mẽsem alium, quem Græci κηλλὸν nominant, quasi mutilum & imperfectum 29. dies obtinere, alium nempè absolutum 30. Nam vniuersos duorum mensium dies 59. esse oportet. Siquidem vterque omnino triginta minus al tera diei parte: Quemadmodum igitur annum integrum Sol absoluit. Ita Luna mensem. Idem voluit Gal. primo de morbis vulgaribus com. 2. Sic habens, vt verè Palestini computant 12. menses, efficiunt dies numero tricenos quinquagenos quaternos. Nam cùm tempus à Lunæ cum Sole coniunctione vsque ad aliã quanuis coniunctionem supra dies 29. alium præterea diem dimidium assumat: idcirco duos menses continentes quinquaginta nouem dies in partes diuidunt inæquales, atque alterum dierum 30. faciunt, alterum 29. Mensem quoque esse communem amborum, Solis scilicet, & Lunæ circuitum. Dixit Aristo. 4. de generatione animali cap. vlt. quòd est tempus ab vno Solis & Lunę concursu ad alterum. Mensis igitur lunaris, de quo antiquiores Aristotele & Galeno loquuti sunt 29. dies & dimidium continet: id quod ab Hippocrate lib. de septimestri partu clarè dicitur, quando quinque menses dies centum quadraginta septem, & dimidium alterius diei continere dixit. Dixitque dies 59. duos menses perficere. Hucque lunarem mensem exquisitè, siue exactè mensem appellat Gal. 3. de diebus decretoriis versus finem. Mensis vero solaris est totius anni pars duodecima, siquidem apud omnes annus duodecim mensibus constat, & diebus tercentum sexaginta quinq; integrum annum facientibus, sex horis additis, quorum pars duodecima triginta dies excedit. Duodecies namq; triginta, tercentum sexaginta faciunt. Quia si ex duodecim mensibus, quinque

vnum

vnum ſupra triginta dies contineant, & ſeptem triginta tantum totus annus abſoluetur, præter horas ſex: vnde ſingulis quattuor annis cogimur diem facere intercalarem, ſiue interpoſitum. Apud nos verò annum diducimus in mẽſes duodecim, ſeptem vnum ſupra triginta dies continent, quattuor triginta tantum, & quia ad abſoluendum tercentum ſexaginta quinque, viginti octo dies deerant, menſis vnus 28. obtinuit: alii verò vetuſtiores menſes annum integrantes, vel 30. vel vnum ſupra 30. dies continere volunt: exceptis Paleſtinis, annum ex 12 menſibus lunaribus conſtituentibus, qui tercentum quinquaginta quatuor dies faciunt: & quia ad abſoluendum tercentum ſexaginta quinque dies, & horas ſex, deſunt dies vndecim, & horæ ſex, ſicuti cogimur nos ſingulis quatuor annis diem intercalarem facere: ita coguntur ipſi ſingulis viginti octo menſibus intercalarem menſem facere: ita vt in octo annis tres menſes faciãt intercalares. Et proinde Gal. 1. de morbis vulgaribus de menſibus annum integrantibus, quos ſolares appellamus: dixit non eſſe computandos pro Lunæ ratione, ſed pro ratione Solis, cùm inquit. Cæterum non ſunt pro ratione Lunæ menſes computandi, quòd iam multis Græcię ciuitatibus eſt ſolẽne, ſed pro ratione Solis apud omnes antiquiores, & nationes quàmplures numerantur, ſubiungit quomodo Romani vniuerſum annum in menſes 12. diducunt, ſubinde quomodo Paleſtini, cuius verba ſuperius poſita ſunt. Poſtea de Paleſtinis & eos ſequentibus loquens, ait, quare quibus hæc eſt ratio, mẽſium aliquem facere intercalarem coguntur, vt præteritorum annorum reliqua cumulent, & tẽpus fiat vnius menſis &c. & licet apud Paleſtinos, & Græcos tempore Galeni omnes lunaribus menſibus conſtitueretur, & tercen-

tum

tum quinquaginta quatuor diebus absolueretur: apud tamen antiquiores, Hippo. scilicet, & multas nationes id non obseruabatur: Quum itaque Hippo. & Arist. locuti sunt de mense lunari 29. dies & dimidium alterius diei continente, & de mense solari 30. & plus obtinente, dubitari poterat de illa conclusione, quòd natus citius septimo mense vitalis esse non possit: an de lunari, an de solari mense intelligerent. Remouet hāc dubitationem Hipp. in tractatu de Septimestri partu, inprimis verbis dicens. Septimo mēse natum eum intelligere, qui vltra centum octuaginta duos dies natus sit, nec non & vltra anni medietatem, quæ sex mensibus solaribus absoluitur: est autem anni medietas dies 182. & horæ quindecim, & proinde de mensibus lunaribus non esse conclusionem intelligendam; sex enim menses lunares 177. dies præcise continent, & si conclusio de mensibus lunaribus intelligeretur, posset natus die centesimo septuagesimo octauo vitalis esse, id quod Hippo. non admittit. Nos autem sumus in casu longè clariore, quia puella de qua quæritur, cùm nata sit die centesimo septuagesimo, siue sententia Hippo. dicta, & Arist. 7. de historia animalium cap. 4. de mense lunari, siue solari intelligatur, puella vitalis esse nō potest, quæ citius 7. mense tam lunari, quàm solari nata sit. Nec ignoro præter dictum mensem lunarem Gal. 3. de diebus decretoriis ponere alios duos menses lunares, vnum integræ peragrationis Lunæ in circulo signifero, qui dies 27. & horas octo continet. Alterum quo Luna manifestè illuminata in hæc agit inferiora, qui diebus 27. vel 26. cum dimidio, secundum varios respectus constituuntur. Et si de his mensibus Hippo. & Arist. sententia intelligatur, poterit natus 170. die dici natus 7. lunari mense, & sic vitalis esse:

D ve-

verùm hoc ad rem nihil facit, quoniam Gal. primus ad inuestigandam causam, cur dies decretorii ponendi sint, illos duos menses posuit, de quibus neque Hippo. neque Arist. nec alii Gal. vetustiores vnquam loquuti sunt, sicut neque de causa dierum criticorum quicquam dixerunt. Non igitur eorum sententia de illis mensibus, de quibus nihil loquuti sunt, intelligi potest. Restat igitur conclusio apud Hippo. & Gal. clarissima, quòd puella centesimo septuagesimo die ab hora conceptionis nata, vitalis esse non possit. Id quod alio fundamento diduci potest. Hipp. in tract. de alimentis 2. de morb. vulg. sectione 3. in 6. de morb. vulg. sectione 8. vult tria tempora in fœtu consideranda, primum formationis, secundum motus in vtero, tertium partus, quum tempori formationis additur duplum ipsius, fit tempus motus, quum verò id duplum, quod additur, triplicatur: tunc totum tempus motus duplicatur, & fit tempus partus. Quemadmodum si fœtus 35. diebus, formatur 70. additis erunt centum quinque, & tunc incipiet fœtus in vtero moueri: septuaginta verò triplicatis, aut centum quinque duplicatis, erunt dies ducentum decem, & septem menses integri ac tempus partus. Dixit Hippo. fœtum formari 35. diebus, 40. & 45. citius diebus 35. non posuit. Auic. 2. 3. cap. 2. minimum tempus formationis masculi dixit esse 30. dies, & minus tempus partus medietatem anni. Fœtus autem formatus trigesimo die, nonagesimo mouebitur, citius centesimo octuagesimo nasci non poterit. Quare puella, de qua dubitatur, vitalis esse non poterit, quum citius centesimo octuagesimo die nata sit, opus esse iuxta regulam hanc eam esse formatam citius triginta diebus. Nunquam autem visus est abortus ante trigesimum diem perfectè formatus,

vt

vt habetur ab Aristo. 7. de histo. animal. cap. 3. & 4. degenerat animal. cap. 6. Ad id accedit, quòd puella tardius in vtero quàm masculus formatur. Obiiciet fortè aliquis dicta Hippo. esse verificanda, vt in pluribus. Tametsi absolutè, & tanquam semper vera probata sint, vt clarè habetur à Gale. 7. de diebus decretoriis cap. vlt. & clarius 6. part. aphoris. 58. illa igitur conclusio, quòd natus citius 7. mense non poterit esse vitalis, verificabitur vt in pluribus, & aliquando raro poterit oppositum contingere. Nihil autem prohibet illud rarò contingens in casu nostro verificari. Item Hippo. & Arist. nullam afferunt rationem demonstratiuam ad conclusionem illam probandam, sed tantum quod longo vsu viderunt, asseuerant, ac si dicerent, nunquam visum citius 7. mense natum viuere, igitur natus citius 7. mense viuere non potest. Qui modus nihil concludere videtur, sicut priusquam morbus Gallicus accideret, non sequebatur, nunquam visum est aliquem morbo Gallico laborasse: igitur morbus Gallicus euenire non potest. Dicendum est Hippo. summas in aphorismis, licet non tanquam semper vere dictæ sint, verificari tamen vt plurimum id, quod clarè dicit Gal. locis adductis in libro de septimestri partu, & in aliis, quibus non aphoristicè, sed longiori sermone procedit, aliter tenendum est. Ratio enim diuersitatis est, quia sententiæ aphoristicæ breuissimo sermone sunt explicandæ. Ideo Hipp. in aphorismis non curauit id, quod vt plurimum, ab eo quod semper euenit discernere. In aliis autem libris, & præcipuè in de septimestri partu clarè distinxit, cum nanq; dixisset partum viuere natum 7. mense, & ex consequenti citius natum viuere non posse: subiunxit, quod licet nati mense septimo viuere possint, vt plurimum tamen moriuntur.

tur. Ideo debuiſſet dicere Hippo. de natis citius 7. menſe, ſi aliqui nati citius 7. menſe viuere poſſent, ſenſus itaq; Hipp. eſt, quod natus 7. menſe viuere poſſit, licet eo tempore nati vt plurimum moriãtur. Ad aliud quod obiicitur, reſpondetur, in Philoſophia & Medicina multa eſſe, quæ ſolo experimento ſciri poſſunt, nec ratione demonſtratiua probari valent, ſicut quod omne rhabarbarum bilem trahendi vim obtinet, magnes ferrum, quòd omnis ignis calidus ſit. Hæc enim ſcita ſunt, ſed non alia via, niſi quia ſemper videmus, & experti ſumus ita eſſe. Nunquam enim vidimus ignem non calidum: Rhabarbarum, quod vim bilem purgandi non haberet: Nec magnetem, qui ferrum non attrahat. Non enim ratione probare valemus ignem calidum eſſe, magnetem ferrum attrahere, ſed id tantum ſenſu & experimento concludimus, quod aut de morbo gallico dicitur, nihil ad rem facit, quia in his, quæ à caſu fiunt, vt morbi, & his quæ ab arte, apertè concedimus aliquid de nouo fieri poſſe, & videri quod nunquã factum ſit, & nunquam fuit. Quis enim dubitat monſtrum fieri poſſe, quod nunquam fuit, & medicinam aliqnam compoſitam ex variis ſimplicibus fieri, quæ nunquam fuit? quoniam tales compoſitiones infinitis modis variari poſſunt: ſecus autem dicẽdum eſt in rebus, quæ fiunt à natura, ſi vnquam dari poſſet ignis non calidus, aliquando talis viſus eſſet, & ſi dari poſſet magnes ſine virtute attractiua ferri, aliquando id experiẽtia deprehendere licuiſſet, pari modo ſi fieri poſſet naturaliter, vt natus citius 7. menſe viueret: iam quandoque iſtud experientia compertum fuiſſet: propoſitio namq; vniuerſalis inductiuæ in omnibus ſuis ſingularibus, cuius oppoſitum non valet intellectus ratione concludere, pro principio certisſimo tenenda eſt, ſicut

quod

quod omnis ignis calidus ſit,& quod natus citius ſepti mo menſe viuere nō poſſit. Nunquam enim vidimus ignem non calidum,nec intellectus ratione concludere poteſt,ipſum viuere poſſe. Igitur tenendæ ſunt eæ duę propoſitiones certisſimæ,& tantam certitudinem habebimus,quod natus citius 7. menſe,non viuat,ſicut quod omnis ignis ſit calidus, vel quod omnis magnes ferrũ attrahat, vel quod oē rhabarbarum bilē purget.

Quòd ad ſecundum dubium attinet Hippo.3. part. apho. 12. in anni quadam conſtitutione dixit. Mulieres,quibus partus ad ver ineſt, ex quacunque occaſione abortiuntur. Quæ verò pariēt,imbecilles & morbidos pariunt infantes,qua re vel ſtatim intereunt, vel tenues,& valetudinarii viuunt: contra,diſtinguit Hippoc.abortum à partu,adeò vt quæ abortiunt, non pariant,& quæ pariunt non abortiant,vt abortus ſit intēpeſtiuus partus, non tamen ſit abſolutus partus, ſicut homo mortuus non eſt homo. Idem habetur 5. part. aphoriſ.54. Gal. vero 15.de vſu part.cap.7.vult partum eſſe,imò fœtus adeo perfectus eſt,vt ab vtero prodiens per os nutriri valeat. Quando verò nondum in tantam deuenit perfectionem,non partus,ſed abortus erit. Quare qui intempeſtiuè, ſiue abortiui ex vtero prodeunt,non nutriuntur,nec viuunt,& proinde dixit Ariſto. citius 7. menſe prodiens, nullo modo viuere poteſt,ſi nullo modo conſtat,quod non per dies, cùm nutriri non valeat. Qui vero in partu viui in lucem eduntur,& debiles admodum ſunt,dicit Hipp.vel breui moriuntur,vel tenues & valetudinarii viuunt. Neque vitæ terminus certè dici poteſt, quoniam ſecundũ quòd natus imbecillior,aut minus imbecillis fuerit,ita longiori aut breuiori tempore viuere poterit. Quod verò abortiri,ex vtero intempeſtiuè prodire, non nu-

triri, non viuere posse se inuicem consequantur, ostenditur ex Gal. qui part. 5. aphoris. 30. 33. 36. 37. 43. 52. 54. id quod Hipp. aborsum dicit, ipse fœtus corruptionem interpretatur, ita vt velit in omni aborsu fœtum corumpi, & interire.

Ex his concludendum puto quòd puella vigesimasexta Octobris 1539. proximè præteriti circa horam quartam noctis concepta, & die tertiadecima Aprilis anni 1540. hora 14. nata, non potuerit per dies viuere, & si vixerit, necesse sit fateri, quod citius concepta fuerit, siquidem citius centesimo octuagesimo secundo die ex vtero prodiens, nec nutriri, nec viuere posit. Dat. Bononiæ die VIII. Maii M D XL.

MATHEI CVRTII Ticinensis, Medici Excellentisſimi, De Febrium curatione.

FEbris calor est, non res calida, octauo de Ing. primo & nono eiusdem xiiii. auctus & in igneũ mutatus primo Apho. xvi. nõ ex duobus compositus: cuius ratio colligi potest 1. Apho. xiiii. siccitati coniunctus, 1. Aphor. xvi. 1. regim. acut. xviii. & xii. & ix. de Ing. xiiii. in corde accensus, 1. de diff. Feb. iii. & per totum corpus transmissus viii. de Ing. in principio, 1. de Accid. v. nisi impediatur, sicut est in Epiala ii. de differen. feb. vi. & in Liparia in lib. de inæq. int. lædens operationes, nedum naturales, sed etiam motiuas, quia hoc cuilibet conuenit ægritudini, in lib. Artis medicinalis lxxxii. non enim æger est, nisi decumbat 1. de dieb. criticis vi. vnde dicitur viii. de Ing. 1. quòd impedit ægrum, & per eam vehementer tristatur. Quæ qui-

quidem caliditas debet esse perseuerans, 1. de differẽ. feb. iii. non sicut caliditas irę & laboris, quando adhuc nõ est impressa caliditas in facto esse in corde. Debet enim caliditas febrilis ponere in calefacto esse partem aliquam cordis. Omnis namque morbus debet esse in facto esse, secundo de accidentibus tertio. Hæc autem si salubris sit, quatuor vniuersalia tempora debet habere, sicut de omni morbo dicitur in de vniuersalibus morborum temporibus, verum est, quòd aliquam potest habere imperceptionem, quòd si sit insalubris, declinationem non habet 2. de Crisi. v. & ix. Ista autem quatuor tempora sunt principium, augmentum, status, & declinatio, & possunt attendi penes digestionem. Et est principium quando apparent signa occultæ digestionis: augmentum quando manifestæ: status quando completæ: declinatio quando fit expulsio, sicut patet primo de Crisibus xvii. & xviii. Penes essentiã vero & accidentia quando incipiunt est principiũ: quando augentur est augmentum: quando in maximo sunt vigore est status 1. de Crisibus iii. quando declinãt, est declinatio. Tempora autem ista coincidunt in morbis reseruantibus, non aũt in non reseruãtibus iii. regim. acut. vltimo, in non reseruantibus enim tempora quoad essentiam & accidentia, præcedunt tempora quoad digestionem, & sicut sunt quatuor tempora vniuersalia, ita etiam quatuor tempora particularia in illis, quæ habent paroxysmos: verum est quòd secundũ Gal. in de tẽporibus paroxysmorum possunt fieri sex, numerando totum circuitum, cum infebricitatione, si in principio sit qõ pulsus. Nam est principium inæqualitas, augmentum, status, & declinatio, & infebricitatio. Quod si sub augmento ponatur inæqualitas, & nõ numeretur infebricitatio, erunt tantum quatuor, sicut

vniuersalia, quod non sit, quia realiter principiũ ab augmento non distinguatur, & sic sunt tantum tria non numerando infebricitationem, sicut est in illis, quæ ad ipsam non terminantur. Hęc autem à Galeno in lib. de quatuor tẽporibus paroxysmorũ. Cognoscuntur autem tempora ex natura morbi 1. Aphor. xii. 1. de Crisib. ix. ex dispositione materię peccantis, 2 de diff. feb. 8. tẽpore anni, 2. Apho. xxv. ex anticipatione 1. Apho. 12. primo de Crisibus iii. ex euacuatione, 1. Epid. in commento primi infirmi. In febres autem incurrunt ex causis extrinsecis calefacientibus, maxime in ephemeram, & magis sunt parati cholerici 8. de ingeniis 7. & 8. infrequentius tamen sunt febricitantes sanguinei, quia magis incurrunt putridas, viii. de Ing. 7. & ferè æque similiter in ephemeras, sicut cholerici. Sic Auic. prima quarti cap. de pręparatione ad febres præponit corpora calida & humida. Quoniam autem si debet esse febris calor in facto esse inductus esse debet, & quoniam vt dicitur vi. Epid. part. vi. cap. 8. in nobis mẽbra sunt in triplici differentia, scilicet solida, quæ continentia appellantur, humores qui dicuntur contenta liquida, & spiritus, quidem contenta mobilia appellantur: Ideo sunt tres species febris diuersificatæ, secundum subiectum positũ in calefacto esse, 1. de diff. feb. 1. licet enim calor in febre debeat esse in toto, tamen sufficit quòd in facto esse sit in vna parte cordis, & toto ei correspondente. Si ergo sit in spiritibus, dicitur ephemera: si in humoribus, putrida: si in solidis sit, hectica: dicitur autem quando est in humoribus, putrida, quia humores omnes quãdo in eis est calor febrilis, putrescunt, excepto aliquando sanguine, sed habet naturam ephemerarum, ix. de Ing. 1. variæ aliæ dantur febris diuisiones ab Hipp. vi. Epid. part. vi. tex. 16.

& à

& à Gal.1.de diffe.feb. 1. Sed istam diuisionem sumptam à Gal.à materia accipiemus,& penes ipsam omnium febrium,secundum mentem Hippo. & Gal.curationes explicabimus. Ab ephemeræ igitur curatione exordiamur.

De Febre ephemera, & eius curatione.

Ephemera febris, est calor in spiritibus impressus in calefacto esse,sicut primo de diff. feb. attestatur Gale. quæ si non committatur error,de se vnum diem nō pertransit,tertio de Ing.in principio,& x. eiusdem secundo de causis procatarcticis fit primo de diff.feb.3. & 2.de Crisi.vltimo. In ipsam incurrere parati sunt, qui complexionis sunt calidæ,& siccæ, 8.de Ing.8.Cognoscuntur autem ephemeræ ex istis signis, primo ꝙ sunt à causa procatarctica,secundo ꝙ habent ferè vrinas similes sanis,& digestas, tertio ꝙ pulsus in declinatione sit similis sano, quarto ꝙ calor sit suauis ad tactum,quinto ꝙ in statu non sint sæua accidentia, sexto ꝙ in declinatione appareat quędam irroratio ex superfluitatibus tertiæ digestionis. Et hæc omnia colliguntur à Gal.in primo art.curatiuæ ad Glauco. 2. & secūdo de Crisi. vltimo, & primo de diff. feb. septimo & octauo de Ing. quarto.

In eius curatione sic est procedendum, quando principaliter in febribus à tribus indicationem sumamus,à causa morbi,à morbo,quę de sui remotione indicāt,& à virtute,quæ de sui cōseruatione, ut ostēdit Gale. 10. de Ing. 1. Parū de curatione eius curamus cū salubris sit, & omnibus nota,quæ & facilè tolli potest, pariter ēt de virtute,quia ea est salubris, & virtuté nō prosternit. Ideò omnis cura ferè ab ipsa febre sumitur, sicuti

deci

decimo de Ing. primo dicit Gal. Quum autem febris, vt febris, sit calida & sicca, sicut primo de regim.acut. 18.43. & primo Apho.16.dicit, & quum omnis cura fiat per contrarium 8. de Ing.primo, ideo de infrigidatione, & humectatione indicat, vt de Ing. 14. In hac cura quum principaliter infrigidare, & humectare intendamus. Aer ipse, à quo indicatio sumitur nono de Ing.14.ostendit, quãtum infrigidare debemus vel humectare. Si enim ipse calidus & siccus sit, maiori indigemus humectatione, & frigidatione, sin minus, minori. Quare si ipse calidus sit, debet ad frigiditatem alterari, nono de Ing.14. Alterato igitur aere ad frigiditatem & humiditatem, si talis non sit, est eligenda domus, quæ talis sit: & Gal.dicit, ꝙ debet esse subterranea, & versa ad septentrionem, aspersa cum rebus frigidis, vt rosis, camphora, & similibus: debemus respicere quæ eius causæ fuerint, quæ de sui remotione indicant, decimo de Ing. 2. quæ quidẽ causæ diuersæ, quomodo possunt cognosci, ostendit Gal & in primo ad Glauco. 2. & secundo de Crisi.vlti. Si ergo fuerit in causa, Tristitia, debemus curare vt stent læti, si nimium Exercitium, debent quiescere, si Vigilia, debent dormire, & sic omnes causas debemus remouere per sua contraria, sicut octauo de Ing.tertio ostendit Gal. Remota causa (quod facile fieri potest, quum sit procatarctica, nisi sit oppilatio vel bubo, quum sæpenumero ista febris in hecticam vel putridam transeat, nisi curetur, vt in prima quarti tract. 1. cap. 5. refert Auic.) ipsi febri est attendendum: Hæc sunt ingenia, quibus vtimur in omni ephemera, sicut septimo Apho.43. colligere possumus, verum vt dicit Paul. lib.2.cap.16. debemus variare & applicare, secundum ꝙ à diuersis procedit causis. Nã aliquando in principio cõueniunt, vt si exustione

ne

ne facta ſit, aliquando in declinatione, tamen & facta digeſtione vt in catarrho ponitur, aliquando maiori aqua eſt leuandum, aliquando minori, aliquando magis in vna manſione balnei, aliquando magis in alia debet ſtare, quas manſiones & virtutes x. de Ing. xi. enumerat Gal. vnde ſicut aliquando, ſecundum q maiori humectatione, vel inſtauratione, vel ſudore indigemus plus, vel minus: poteſt modo in vna, modo in alia ſede ſtare æger. Sed quoniam noſtris temporibus ordinata balnea nō habemus, debemus facere vt melius poſſumus in domibus ordinare, nec ea in Ephemeris (in quibus præſentaneum ſunt remedium) dimittere, ſicut in primo art. cur ad Glauc. cap. 2. Præterea poſt balneum, eſt inunctio, quam in primo ad Glau. laudat Gale. oleum autem non debet eſſe frigidum, quia vt patet tertio reg. acut 42. conſtipat, & ſic eſſet periculum cōuerſionis in putridam, ſed debet eſſe tepidum, & miſcere cum aqua tepida. Sic enim, vt dicitur ſecundo de Simp. 24. maiorem facit humectationem, & quoniam intentio omnis eſt reſoluendi illos ſpiritus incenſos, laudant Doctores frictiones, quæ diuerſæ ſunt, vt ſecūdo de tuend. ſani. patet, & ſecundum q diuerſæ diuerſos habent effectus, ſemper tamen aliquo modo conueniunt, ſic ergo balnea, frictiones, unctiones, omnibus cōueniunt ephemeris. Vltima intentio eſt de cibo & potu, Gal. primo de diff. feb. ad Glauc. ſecundo laudat vinum in omni ephemera, & in 8. de Ing. tertio modo ſit pauciferum, ſic enim magis excretiones expellit: ſi ergo febris ſit in corpore calido & ſicco, & cum illis conditionibus, quas enumerat Gal. 8. de Ing. ſecundo, tunc in principio debemus dare panem maceratum in vino, ſicut ibi fecit Gal. q ſi non ſit tale accidens, prius eſt balneandus, poſt dandus cibus primo art. cura. ad Glauco.

Glauco. ſecundo: cibi autem, qui conueniunt, ſunt primo ptiſana, alica cum pauco aceti, non craſſa, piſces ſaxatiles, ꝙ ſi illos habere non poſsis, ſumendi ſunt illi maxime qui non ſunt in lacu, vel in oribus fluminum. Item perdices, paſſeres, pulli gallinacei, phaſiani, pulli columborum, & alios poſſumus dare cibos, quos enumerat Gal. 8. de Ing. ſecundo. Panis quoque conuenit in furno coctus: dicit ibi Gal. & ſic poſſumus vti his cibis, & dare magis & minus, ſecundum diuerſas cauſas vnde ſi ſit ex nimio labore, vel inedia, eſt dandum tantum cibi quantum poteſt digerere, ſi ex bubone, parũ, ſi ab aliis cauſis, eſt dandus cibus mediocriter, ꝙ ſi fiat ex obſtructione, tunc dicit Gal. 8. de Ing. ſecũdo, oportet primo vti phlebotomia, aliter alia remedia eſſent vana, ꝙ ſi videamus dicit Auic. in cap. 23. ꝙ ſit potius oppilatio propter craſsitiem materiæ, quàm propter multitudinem, ſic eſt melius vti aperientibus & incidẽtibus, ſicut dicit Gal. ex oxymelite, & poſſumus miſcere aliquas herbas, vt calamẽthum, & pulegium, niſi ſit timor nimiæ caliditatis, & debemus vti ſemper cibis aperientibus, ſic enim curando ephemeram, dicit Gal. primo ad Glau. 2. remanet poſt 24. horas æger in totũ liber cum omnibus diſpoſitionibus ſanis, & ſic prohibemus, ꝙ fiat interpolata putrida, quia in infebricitatione non ſunt ægri in totum ſimiles ſanis. Hæc ſunt, quæ conueniunt communiter omnibus ephemeris, quę autem conueniunt ſingulis ſpeciebus, vide apud Auic. hæc ſunt procura ephemerę ſecundum Galenum, quæ omnia etiam refert Auic.

De Febribus putridis.

Quatuor ſunt in nobis humores, qui ſua multitudine,

ne, vel crassitiæ, oppilationem in corpore nostro faciẽtes, prohibent caloris naturalis transpirationem, quo non transpirante calor noster fit extraneus, eo autem extraneo existente humorem magis aptum putredini, putrefacit: humor autem putrefactus febrem, quæ putrida dicitur, generat. xi. de Ing. 8. sine oppilatione. n. non fit febris putrida, 1. de diff. feb. tertio, nisi pręcedat ephemera, vel per attractionem aeris putridi. In his namque casibus potest fieri putrida etiam non pręcedẽte oppilatione. Isti ergo humores non excitant febrẽ, nisi putrescant, 2. de diff. feb. 8. excepto sanguine x. de Ing. 3. Quum autem putrescunt vel intra venas, vel extra putrescunt: si intra, faciunt continuas 2. de Crisi. 12. & 2. de diff. feb. vlti. si extra, faciunt interpolatas, 2. de diff. feb. xi. & si intra, venas putrescunt, vel sunt in venis magis propinquis cordi, & faciunt continuas, sine manifestis excrescentiis, vel in venis paruis remotis à corde, & sic faciunt continuas cum manifestis excrescentiis, 2. de diff. feb. vlt. ꝙ si extra venas, vel est cholera, & sic faciunt tertianã: vel est phlegma, & sic quotidianam: vel est melancholia, & sic quartanam, 2. de diff. feb. 2. Sanguis non putrescit extra venas, solum intra venas, 2. de diff. feb. 9. Sed non facit febrem purã secundo de Crisi. 12. sic. s. quòd tantum appareãt signa sanguinis, sed apparent etiam signa choleræ, 2. de diff. febr. 9. Isti quoque humores, vel sic putrescunt, ꝙ tãtum vnius humoris signa apparent, & sic fiunt febres puræ, vel apparent signa duorum humorum, & dicuntur nothæ, vel compositæ secundo de Crisi. 12. Accessiones tolluntur, secundum ꝙ per partem post partem materia accẽditur & expellitur, sicut patet in exemplo de stercore columbino, 2. de diff. feb. 5. vel secundum ꝙ aggregatur tanta materia, vt possit stimulare virtu

tem

tem expulsiuam, 2.de diff.feb. vlt. hinc est, quoniam cholera hæc potest facere de tertio in tertium phlegma, quotidie melancholia, de quarto in quartum: hinc est ꝙ febris à cholera est tertiana, à phlegmate est quotidiana, à melancholia quartana. Variantur autem paroxysmi, & fiunt maiores vel minores, secundum materiæ dispositionem, & virtutum naturalium fortitudinem, vel debilitatem, 2.de diff.feb.xi. Hę sunt omnes species febrium putridarum, quarum cum rationes explicaturus, à cholericis, & inter cholericas ab interpollatis, & primo à pura exordiar.

De tertiana pura, & eius curatione, & in fine de tertiana continua.

Tertiana pura, quæ ex cholera fit extra venas putrescente, 2.de diff.febr.2. & vlti, per membra sensibilia delata, 2.de diff.feb.3. quando eius signa tantum apparent non alterius humoris, 2.de Crisib. 12. & de se de tertio in tertium affligit. Primo ad Glauc.cap.de signis febrium intermittentium, cognoscitur, quoniam septem periodos non transit, quarto Apho.59. inuadit magno cum rigore, cum punctura rei calidæ, non cum magno frigore: terminatur per sudorem, vel per vomitum bilis, vel per vtrunque, calorem habet plurimũ & acrem cum siti magna in principio, quæ post fit mitis 12.horas, non transit eius accessio ad perfectam terminatur infebricitationem, pulsus in inuasione habet tardos, debiles, paruos, ac raros: nec aliam habent inæqualitatem, nisi quæ communiter est in omnibus febribus, & tandem in statu habet magnos, calidos, vehementes, veloces, & frequentes sine inæqualitate. Tantum habet eum, qui sequitur omnes putridas, scilicet ꝙ sy-

systole sit velocior diastole, vrina est subrubea, vel sub flaua. Aduenit autem in complexione calida & sicca, regione pariter & statu cœli calidis & siccis, in iuuene exercitato, quãdo vigilauit, laborauit, tristatus est, multum cogitauit, & pauco vsus fuerit cibo. Hæc sunt signa, quæ omnia vel plurima tertianam puram sequuntur, sicut colligere possumus à Gal. primo ad Glauc. capite de signis feb. intermittentium 4. Apho. 59. secundo de diff. feb. 3. secundo de Crisi. 3. & hæc febris de se periculo vacat, 4. Apho. 42. Curando ergo tertianam puram sic debemus procedere.

Cùm, vt dicit Galenus de constitutione artis medicinæ 13. & 14. in omni ægritudine debeat Medicus elicere intentiones curatiuas: secundo videre an illud fieri possit: tertio cum quibus instrumentis: Ideo primo oportet videre à quo sumantur indicationes curatiuæ in tertiana pura, & quoniam ipsa curari potest, quibus instrumentis vti debemus. Intentiones omnes curatiuæ summuntur à morbo, & à causa morbi, & à virtute, dicit Gal. 10. de Ing. primo virtus indicat de sui conseruatione, quæ fit cum similibus, 9. de Ing. 14. Morbus autem, & causa morbi de sui indicant remotione, 10. de Ing. primo Cęterum quando morbi, ac sui causa sæpe indicant de oppositis remediis: ideo vidẽdum est à quibus primo est incipiendum. Gal. tertio de Ing. & 12. dicit, ꝙ tria sunt, quæ indicant ꝙ ab eis incipere debemus, scilicet illud quod habet rationem causæ, illud quod magis vrget, & illud sine qũo non. Cæterũ quoniam in tertiana pura, quum de se sit salubris, quarto Apho. 43. morbus ipse nec sua symptomata plurimum vrgeant, ideo ab ipsa causa (sine cuius remotione non potest curari febris) est incipiendum. Quum igitur visum sit à quibus sint sumendæ indicationes, à quibus

quibus (primo modo etiã ſuppoſito, quòd hoc ſit poſſibile) reperienda ſunt remedia, primo pro virtute cõſeruanda, quæ ſunt ſimilia complexioni, ætati, & conſuetudini, nono de Ing. 14. hæc quæ ſint patebit, quoniam loquitur de rebus non naturalibus. Veniendum ergo eſt ad remedia, quæ conueniunt ratione cauſæ: Cauſa tertianæ puræ, eſt cholera, ſicut patet ſecundo de diff. feb. vltimo, & ſecundo de Criſi. 3. & ſic eſt materia: Materia autem in cunctis morbis quædã eſt putrefacta, quædam in putrefieri, vnde debemus educere eã, quæ eſt iam putrefacta, & curare ne alia putreſcat, xi. de Ing. 9. Duo vero ingenia ſunt magna, quibus educimus materiam peccantem, phlebotomia, & pharmacia, 2. Apho. 29. Quum ergo eſt intentio de phlebotomia, & pharmacia, à phlebotomia eſt incipiendum, ſexto Epid. parti. 1. lib. 5. Cuius rationem reddebat Gale. in lib. de dignoſc. affectibus renum, quia ſic melius humores per pharmaciam poſſunt educi, & hoc faciebat Hippo. quarto regi. aut 19. & 28. hoc tamen eſt interdum non exiſtente maxima humorum inæqualitate, ſicut dicit Auic. quarta fen primi cap. 5. quia tũc eſt incipiendum à pharmacia, ſicut faciebat Gal. quinto de Ing. 14. & hoc eſt, quia virtus in principio oppreſſa ab humorum cacochymia non conſtaret, ſuppoſito tamen ꝙ in tertiana pura non ſit iſta magna inęqualitas, ab ipſa eſt incipienda phlebotomia. Quum igitur natura eſt aggrauata, tunc eſt fienda phlobotomia, ſicut de omnibus putridis dicit Gale. xi. de Ing. 15. Dico quando natura eſt aggrauata, quoniam non credo, ꝙ ſimpliciter in omni pauca putrida ſit fienda phlobotomia, quod oſtendunt verba Gal. ibi quando dicit, vt natura deoneretur. Quum ergo natura eſt aggrauata, & æger tranſit 14. annos, quia prius non conuenit xi. dę

Ing,

Ing. 14. Quantitas auté sanguinis est sumenda à com plexione, ab aeris statu, & regione, quæ enumerat Ga le. xi. de Ing. 14. quod si omnia, quæ indicant de non mittendo sanguine, sint simul, nullo modo est fienda phlobothomia: q si aliqua sic, aliqua non magis & mi nus fienda secundum dispositionem illarum conditio- num, non tamen est fienda vsq; ad syncopim, nec multũ copiosa, vt relinquatur aliquid pro virtute, ex quo pos simus vti remediis aliis, dicit ibi Gal. Quum igitur fiẽ da est phlobotomia, primum est videndum. an sint plu rimi succi crudi, indigesti in stomacho, & intestinis, quia tunc non conuenit, 9. de Ing. quinto: illis ergo existentibus, sicut communiter modo fit, quia homines vtuntur inordinato regimine, & non habent beneficiũ ventris, tunc primo est prætermittendus clyster cõmu nis, vel illud, quo vtebatur Gal. x. de Ing. 9. scilicet ex aqua, melle, & oleo, q si etiam post clysterem, aliquid in stomacho remaneat, vel in intestinis superioribus, quia clyster non ascendit ad illas partes, 5. de Ing. xi. xiii de Ing. dist. 3. nono nisi per accidens sexto de acci dentibus secundo, tunc quoniam illud quod est in illis partibus educitur per exhibita per os, quinto de Ing. xi. est danda medicina, quam vocant lenitiuam. & dã- da cassiæ vncia, vel duæ vnc. mannæ, q si videmus, q æger de se non facile soluitur, possumus addere stimu- lum, vt vnc i. elect. rosati Mesue, & hæc in principio conueniunt, quia non agitant: dare autem debemus ta lia lenitiua per aliquod tempus ante cibum, puta per horæ vnius dimidium, sicut colligere possimus 2. de alim. cap. de prunis. His igitur remediis, eductis ma- teriis, existentibus in stomacho & in intestinis, stoma- cho non pleno, sed vacuo, primo regim. acut 33 est fiẽ da phlobotomia, post per horas duas dandus est cibus

conueniens. Deonerata igitur natura per phloboto-
miam, possumus vti leuiter prouocantibus sudorem,
vrinam, vel vomitum, si natura tentet, vt quod putrefa
ctum est, educatur, sicut facit Gal. secundo de Ing. 9.
dando ptisanam, quæ hæc omnia potest facere, pariter
mulsam, oxymelli decoctum, apii, & similia. Cæterũ
si ista non omnem materiam peccantem educere pos-
sunt, ad pharmaciam est veniendum. Sed quoniam ra
ro est pharmacandum in principio, 1. Apho. 24. Sed
digesta materia 1. Apho. 22. Imo nõ apparente signo
manifestæ concoctionis non est pharmacandum. Est
ergo expectandum signum digestionis sic, ꝙ materia
appareat manifestè digesta, & hęc digestio fit à natura
primo prognost. vltimo, & fit incrassando, secundo
prognost. 33. & sic separando bonum à malo, quam ta
men poterit etiam iuuare Medicus cum rebus roborã-
tibus calorem naturalem, vt alterando & remouendo
calorem pręternaturalem, & confortando naturalem.
Quum igitur signum manifestæ digestionis apparet,
tunc leui aliquo pharmaco poterimus iam putrefactã
& digestam materiam educere. Vnde Gal. 1. ad Glau
conem de cura tertianæ puræ dabat absinthium cum
melicrato, hoc etiam tempore laudat Gal. ibi balnea
aquæ dulcis calida, quia aliquid educunt & alterant,
quia humectant, & corpora refrigerant, ꝙ si fortiori-
bus vti volemus solutiuis, expectanda erit & perfecta
materiæ digestio. Cæterum, quoniam vt dicit Hippo.
secundo Apho. 9. corpora quum quis vult purgare, o-
portet fluida facere, & hoc ibi dicit Gal. fit aperiendo
vias, & secando humores, & hæc digestio est, Medici,
ideo oportet prius ipsam sic digerere materiã, & hoc
fit cum rebus aperientibus & incidẽtibus: poterimus
ergo dare decoctum ex apio, ex anetho, sicut in primo
ad

ad Glauco.facit Gal.in cura tertianæ puræ,& post,secundum libitum,alias herbas poterimus miscere. Verum quoniam,vt dicit Gal.10 de Ing.primo digerenda est materia, si possibile est, etiam habenda est cura de morbo, & quoniam ista febris indicatio sumpta ad ipsa indicat de maxime frigidis, vt in primo ad Glau. dicit Gal in hac cura, ideo cum aperientibus & incidẽtibus,quæ calida sunt primo Apho.24. poterimus admiscere aliqua frigida,vnde si volumus facere syrupũ, sumemus vnc.i.syrupi de endiuia,cum alio syrupo incidente,iungendo aquas, non tamen maxime incidentes,quoniam iste humor,quum de se sit subtilis non indiget maxima incisione,& eam debemus euitare ratione febris. Facta ergo digestione materiæ,quando scilicet apparẽt signa manifestæ digestionis, reseratis humoribus,& apertis viis, tunc si natura materiam euacuat (perfectum enim est, quod quantum ad istam intentionem faciat Medicus,1. Apho.20.) quod si ipsam euacuationem tentet, & non perficiat: tunc sequendo motum materiæ,si sit per conuenientes regiones, primo Apho.21.est euacuaudum. Si ergo ipsa tentet vomitum,vomitiua sunt exhibenda, si secessum, purgantia per secessum, ꝙ si ipsa non tentet, licet bilis conuenienter educatur per vomitum, 4. Apho.quarto,tamẽ quia vomitus est motus præter naturam, melius erit eam educere per secessum,sicut etiam dicit Gal. in hac curatione. Medicamentum autem commodnm in hac curatione est rhabarbarum,vt dando eius drag. i. scilicet in infusione,vel secundum diuersas intẽtiones vnc. i.cassiæ & drag.ii. electuarii rosati Mesue: Debet autem dari tale medicamentum ieiuno stomacho,& completa digestione,sicut dicit Paulus lib.vii.cap.vi. puta in summo mane,quo dato,si fit debilitas stomachi, vel

timeamus ne aliquid inhereat gulæ, danda eſt ſubito ptiſana, ſecundo regim acut. 22. & in lib. quomodo, & quando purg. 9. licet forſan tale periculum non ſit in iſtis medicamentis benedictis, ꝗ ſi daremus fortiores medicinas, à quibus tamen quantum poſſumus, eſt abſtinendum, ſunt admiſcendæ res odoriferæ, ſecundo regi. acut. xi. & in lib. quando purgare oportet, quando vero medicina incipit operari, tunc nihil eſt dandum, niſi completa operatione, ſecundo reg. acut. 12. immediate tantum debet dormire, vt melius medicina actuetur dicit Auic. quarta primi, cap. vltimo. Quum vero incipit operari, tunc amplius non eſt dormiendum, ſed leuiter deambulandum, quarto Apho. 14. perfecta operatione cibandus eſt æger, ſecundo regim. acut. xiii. dum autem fit digeſtio leuibus clyſteribus eſt vtendũ, dicit Gal. primo ad Glau. cap. proprio, maxime ſi ęger non habet beneficium ventris: his autẽ omnibus peractis cum iunctionibus rarefacientibus, cum frictionibus, cum prouocantibus ſudorem, & vrinam, poterimus curare, vt excernantur etiam ſuperfluitates tertiæ digeſtionis, & ſi aliqua pars materiæ reſtiterit, educatur, quia aliter quæ reſtarent, poſſunt facere recidiuam ſecũdo Apho. xii. & quoniam in iſtis febribus propter decurſum flauæ bilis, ſæpe patitur ſtomachus, ideo poterimus vti confortantibus ſtomachum, vt ſpeciebus diarrhodon abbatis. Hæc ſunt inſtrumẽta, quibus vti debemus indicatione ſumpta à cauſa in hac ægritudine. Quantum autem ad morbum, eſt affectus præter naturam, vt dicit Gal. in de ſymp. diff. primo: Omnis autem talis affectus indicat de ſui remotione per ſua contraria, octauo de Ing. 1. morbus iſte eſt calidus & ſiccus primo regim. acut. 18. & 41. Imo indicat de rebus frigidis, & humidis, 9. de Ing. 14. Et quoniam in

iſto

isto morbo est intensa caliditas, secundo de Crisib. 3. & cura fit per contraria ęqualia in gradu tertio, techni 86. Ideo in eius cura vti debemus intense refrigerantibus, & humectantibus, sicut dicit Gale. 1. ad Glauco. de cura tertianæ puræ. Sed quo pateat quæ sint conuenientia in tali febri, percurrendum est per sex res non naturales: Virtus autem de sui conseruatione indicat, 9. de Ing. 14. quæ conseruatur etiam cum debito regimine sex rerum non naturalium: ideo pro complemento curationis est deueniendum ad sex res non naturales. Sex suut res, quas Medici non naturales appellāt, quæ si debitè applicentur sanitatis causæ sunt, si indebitè ægritudinis. Quarum qualitas, & quantitas, & tēpus in quo conueniunt, oportet Medicum considerare, sicut dicit Gal. in lib. artis medicinalis octauo: harum autem primus est aer, vt dicit Gale. nono de Ing. 14. quum semper nobis occurrat, nec vllo pacto ipsum euitare possumus, & est vnus de illis, à quo sumuntur indicationes curatiuæ: ideo maximam curam de ipso habere oportet: quum igitur in ęgroto illam intemperiem tollere intēdamus quod fit per contrarium, vt dicit Gal. in lib. de artis med. 86. & affectus iste sit calidus & siccus: Vnde debet declinare aer versus frigidum & humidum. Si ergo naturaliter sit talis, debemus illum eligere, ꝙ si non habemus sic, vt communiter est, quando fiunt istæ febres, debemus ipsum artificialiter facere, & hoc fit, vt dicit ibi Gal. eligendo domos subterraneas versus septentrionem, & spargendo eas cum rebus frigidis & humidis, sicut cum rosis, camphora, & similibus: & tamen debemus aduertere ne ille aer occurrat toti corpori immediate, quia sic augeret oppilationem, & per consequens febrem, sicut dicit Gal. decimo de Ing. 8. Secūdo est motus & quies

quum motus sit causa caloris secundo Cœli 42. & in de morb. caus. secundo, ideo his maxime intendimus euitare motum, ideo laudatur quies, potest tamē æger leui vti exercitio, ventre vacuo maxime in die meliori vt excernātur superflua tertiæ digestionis. Tertio est somnus & vigilia, quoniam somnus maximè facit ad digestionem, referente Arist. in de somno & vigi. Imo debemus curare, vt æger dormiat, quia ista ægritudo de se reddit hominem vigilem: debemus tamen curare ne dormiat in principio paroxysmi, sicut dicit Gale. secundo Apho. 1. Quarto est cibus & potus, duæ sunt res in ægritudinibus materialibus, quæ quantū ad cibum requirunt opposita morbus scilicet, & virtus, secundo regim. acut. 36. Virtus enim quum de sui conseruatione indicet, & aliquid semper à corpore nostro resoluitur, quod restauratur cum cibo: ideo ipsa de dādo cibo indicat, primo regim. acut. 43. Morbus autem quum de sui remotione indicet, 9. de Ing. 14. & hoc facit per digestionem, clysteres, fomenta, phlobotomiam, & pharmacum, 1. regim. acut. 43. cuius opus à cibo impeditur, ideo de non dando cibo indicat, 1. ad Glau. De cura tertianæ nothæ, vidēdum est quid magis referat Apho. 9. & taliter ordinanda est diçta, vt virtus stet per totum morbum, & in statu possumus vti tenuissimo victu: oportet ergo in principio crassius reficere, 1. Apho. decimo, ne post cogamur reficere in statu, quod perniciosum est, vt patet 2. regim. acut. 40. & infra: in ipso enim oportet vti tenuissima diæta, 1. Apho. 7. considerandæ tantum sunt conditiones, quas ponit Gale. primo regim. acut. 43. quia sic aliquando est cibandum, aliquando non: in ista ergo febre, quoniam de se nō transit 15. dies, vti poterimus subtili diæta, quia durabit vsque ad statum, primo crassius reficiē-

do,

do,& ſemper attenuando, quando procedimus verſus ſtatum,& tunc parum vel nihil dabimus cibi, ergo cõuenientes debent eſſe humidi, quia hoc eſt cõmune omnibus febribus, primo Apho.16. non tamen tantum, ſicut in aliis propter temperaturam quæ habet ſeruari, tunc, vt 9. de Ing. 14. & id habet fieri cũ ſubtili, in lib. art. med. 86. Debemus ergo hæc examinare, & dare cibos tantum, declinantes verſus frigidum & humidũ, 1. ad Glauconem de cura tertianæ puræ, quantitas autem ſit tanta, vt concoqui posſit, ſic quod duret virtus cibi, ergo qui dandi ſunt, vt dicit Gale. ibi ex oleribus ſunt atriplex, bliton, lapathum, malua, lactuca, cucurbita, poſſumus tamen nos eligere, quæ ſunt in vſu, ſuccũ ptiſanæ, ſorbitiones ex halica, piſces ſaxatiles, volucria quæ habent molles carnes aliarum auium alas, etiam gallorum teſticulos dare poſſumus, & cerebrũ ſuillum, contuſum ex carne paruorum animalium, oua ſorbilia maximè eorum vitellos. Ex fructibus poſſunt guſtare illos, qui non ſunt difficilis concoctionis, vt ficus in lib. de cibis boni & mali ſucci, & vuam bene maturam: Oportet etiam vt abſtineant ab omnibus cibis maximè calidis & ſiccis, & hoc intelligitur in homine delitioſo, qui habet parũ caloris naturalis, & ſi ſit fortis complexionis, ac virtus ſit fortis, tunc ſufficit dare ſuccum ptiſañæ vſquam ad criſim, dicit ibi Gal. vinum in principio nullo modo conuenit, poſt autem poteſt dari vinum aquoſum, & tenue iu pauca quantitate in fine tantum, poteſt tamen dari in maiori quantitate, dicit ibi Gale. ab aqua eſt abſtinendum, & ſi eſt danda oportet ꝙ ſit cocta, quia de ſe nullum præſtat iuuamentum, ſed multas noxas, vt dicit Hipp. tertio regi. acut. cap. de aqua. Hi ſunt ergo cibi, & potus huic febri cõuenientes. Debemus etiam aduertere ne ſumantur di

uersi cibi, tertio regim. acut. 37. quod si sint diuersi, qui sint facilioris digestionis, sunt permittendi, 3. regim. acut. 24. & secundo de alim. cap. de persicis, & plus dandũ in cœna, quàm in prandio, sicut reddit rationem Gale. 6. de Ing. in principio autem paroxysmorum à cibo penitus est abstinendum, & in tota accessione, primo Apho. 2. imo nec ante principium, sicut ampliat Gale. primo Apho. vigesimo, sed in declinatione, vel melius tempore infebricitationis, quia in hac febre est longũ, & quando est intentio, vel phlobotomiæ, vel pharmaciæ, vel clysteris, vel sedandi aliquem dolorem, si esset abstinendum est à cibo dum hæc fiunt, post est cibandũ si est necessarium, primo regim. acut. 33. quod si sit in æstate, sicut plurimum fiunt istæ febres, & æger diffici le ferat cibum, oportet in pluribus vicibus exhibere, & parum, 1. Apho 18. tertio regim. acut. 36. Quinto sunt ea, quæ retinentur, & excernentur, sed de istis dictum est, loquendo de intentionibus sumptis à causa morbi, debemus omni cura attẽdere, vt pori stent aperti, & in tempore debito vti mollibus frictionibus, & inunctionibus, quæ vim habent euaporandi, & in tempore debito vtendum est exercitatione. Hæc .n. sunt quæ faciunt transpirare corpus, vt dicit Gal. 6. de tuenda sanitate. Habent autem abstinere à coitu, quia multum nocet temperaturis calidis & siccis, sicut sexto de tuenda sanit dicit Gal. Cætera autem, quæ conueniũt, iam dicta sunt. Vltimo sunt accidentia animi, debent qui tali febre febriunt, cauere ab omni immodico animi affectu, quia sic alteratur status naturalis, vt dicitur in lib artis medicinalis 85. maxime ab ira, furore, & inuidia, quæ calefaciunt & exiccunt, sed debent mediocriter lætari, quia sic confortatur calor naturalis, & expanditur, & sic suas perficit operationes. Hæc autem

sunt

sunt, quæ agenda sunt inter res sex, quas non naturales appellant. Restat vltimo correctio accidentium, sym ptomata aliquando tantum in morbis faciunt, vt dicitur 12. de Ing. in principio, q; oportet eis tãquam magis vrgentibus attendere. Cæterum quum istæ febres de se sint salubres, quarto Apho. 43. non habent ideo sæua accidentia tamen quę hic sunt consideranda, sunt rigor fortis, sitis, & calor mordax, qui etiam ab ipsa pẽ det essentiam. Quantum ad rigorem, quoniam haben do curam ad ipsum remouendum, impeditur sæpe mo tus naturæ, imo pro ipso non est vtendum fortibus remediis, possumus tamen curare, vt æger sit in lecto be ne coopertus, & calescat ante aduentum paroxysmi, quia sic calor naturalis est fortior, & nõ tamen retrahi tur, debemus aduertere, ne dormiat in principio, quia sic augetur rigor, secundo Apho. 1. curare etiam vt adueniat, ventre vacuo, 1. Apho. 19. pariter in ipso non est cibandum, primo Apho. 11. possumus etiam ponere circa ægrum pannos calidos. Sed reliqua omnia fortia remedia sunt omittenda. Quantum ad sitim, licet æger de se debeat euitare aquam quantum potest, tamen propter sitim aliquando concedenda aqua cocta vel cum hordeo, vel cum seminibus melonis, & similibus, quæ habent vim humectandi, & refrigerandi: potest autem aliquando degustare aliquos fructus, si non sint difficilis coctionis, primo ad Glau. in cura tertianæ puræ: possunt etiam vti aliquibus iulep. vt iulep rosato, & similibus. Debent tantum quãtum possunt vitare narancia, granata, & similia quæ habent vim styp ticam, quia cum eis augetur oppilatio, & per consequens febris. Quantum ad calorem, quia est de essen tia febris, remitti non potest, nisi remouendo febrem, vnde debemus quantũ possumus, euitare frigida actua

lia,

lia,applicata extra, vrgente tamen necessitate aliqua epithemata cordi applicare poterimus,eaque frigida, vt ex camphora,sandalis,& similibus iam apparentibus signis manifestæ digestionis. Sed hæc dicta sunt in intentione sumpta à morbo. Ibi enim debet de hoc esse sermo. Quod si est,est etiam prostratio appetitus est propter humores currentes ad stomachum, quibus ablatis per pharmacum,poterimus vti confortantibus stomachum,& extra iniungere factis, scilicet euacuationibus. Hæc sunt, quę in cura tertianæ puræ, iuxta mentem Galeni,videbantur ponderanda.

De cura tertianæ continuæ.

Tertiana modo continua, quæ fit ex cholera putrescente in paruis venis,sicut dicitur secundo de diff.feb. vltimo, & cognoscitur, quia habet eadem accidentia, quæ habet tertiana pura, sed intensiora, eodem quoq; modo curatur sicut interpollata,sicut prima quarti tra cta.secundo cap 40.dicit Auicen. excepto, ꝙ maiorē debes habere curam eius in infrigidãdo,& digerendo, sic ergo eadem remedia, quæ valent in pura, valent in continua,sed debent esse fortiora.

De tertiana notha & eius curatione.

Tertiana notha, quæ fit ex admixtione choleræ, & phlegmatis, quando ad vnam formam reducuntur, sic quod non seruatur modus præcisus affligendi cholerę, vel phlegmatis secundo de diff febr. 7. cognoscitur, quoniam eius paroxysmus duodecim horas,& septem periodos transit cum grauitate capitis, & extensione accedit: Rigorem habet longiorem, quàm pura, ne c

adeo

adeo auctum. Tarde in ea apparent signa digestionis, non eradicatur cum sudore copioso. Aliquando etiam non incipit cum rigore, caliditatem non habet multum augmentum habet inæquale in libro de quatuor temporibus morbi, accidentia minus habet sæua quàm pura. Hæc omnia colligit Auic. prima quarti tract. secũdo cap. 4. Videndum est, quantum sit febris proxima puræ, & remota, & sic magis vel minus est variãda cura, à cura puræ, si enim sit remota parum, ab ipsa parũ est deuiandum. Quantum ergo ad remotionem causæ, suppositis quæ dicta sunt in cura puræ, & sic ab ipsa incipiemus. Quoniam si istis febribus est etiam flegma quod peccat, cuius est magna copia in stomacho, & in intestinis, ideo 1. ad Glauco. de cura tertianę nothæ, est vtendũ non leui clysteri, vt ponendo in clysteri cassiæ, sicut dicit Auic. drag. 6. vel virtutẽ turbith, vt vnc. mediam diaphenicon is, vel elect. Indi, facto clystere, sequenti die poterimus dare lenitiuum, quoniam multæ sunt materiæ in stomacho educendæ, puta vnc. 1. cassię, & si voluerimus adiungere stimulũ, quia materię sunt crassę, poterimus adiũgere dra. i. vel electua. Indi maioris, vel agarici præparati, quod etiam habet prouocare vomitum, qui quidem maxime in hac cura confert, sicut dicit Gal. primo ad Glauco. de cura tertianæ nothæ, vnde maxime si natura tentet, poterimus ipsum in principio prouocare, propter phlegmata, quæ sunt in stomacho, vt dando vnc. 6. aquæ hordei calidæ cum pauco aceti, vel syrupi acetosi, vel cum pinna intiucta in oleo, & cum similibus leuibus, quia fortia in principio non conueniunt, & si de se sequatur vomitus post cibum, optimum est. Quòd si necessaria est phlobotomia, vt quando natura est aggrauata, & sunt aliæ conditiones, quę indicant de phlobotomia, est fiẽda,

da,& quanto citius,eo melius : oportet tamen præmit tere clysterem, & maxime si non habet beneficium vẽ tris,& lenitiuum,si sint plurimi humorum crudi in stomacho. Quantitas autem cibi,dicit Gal. sit tanta,quã tam exigit status cœli,considerando ea,quæ de mente Gal.dicta sunt in cura purę,facta phlobotomia venien dum est ad digestiua, quæ debent esse fortia propter materiam multam & crassam possumus, vt dicit ibi Gale.facere decoctum ex origano,hysopo, & spica de coquendo in debita quantitate mulsæ, & dare, verbi gratia vnc.5. vel ptisanæ succum cum pipere. Possumus quoq; dare,vt dicit Auic. puta sumẽdo syrup.acetosi vnc.i. syrupi de duabus radicibus vnc. i. aquarum apii,& fœniculi an.vnc.i.& med. Sic ergo procedendo semper, si ęger non habet ventris beneficium, poterimus vti clysteribus. In die infebricitationis, apparẽ tibus signis digestionis,nõ in principio, poterimus vti balneo,dicit Gal. oppositum tamen dicit Auicen.Gal. forsan intelligit,quando non est multum remota à pura. Auic.quando est multum remota,quia sua ratio tũc valet. Nos poterimus securè procedendo, omittere penitus,vel tamen vti in declinatione,sed in hoc tempore scilicet apparentibus signis manifestæ digestionis,poterimus vti prouocantibus vrinam,& sudorem leuiter,sicut sunt illa,quę sunt posita pro digestiuis,vel addendo semina melonis,maiora,communia,vel vtendo oxymelite, sicut dicit ibi Gal. & quum deuẽtum est ad septimum diem, quia iam est consonum, ꝙ aliqua pars sit putrefacta pro eius eductione, poterimus vti leui pharmaco,laudat Gale.& Doctores alii comam absinthii,vel eius decoctionẽ: quoniam vt dicit Auic. confortat stomachum, & educit materiam peccãtem, post iterum poterimus redire ad digestiua, & vti eis do-

donec appareant ſigna digeſtionis completæ. Hoc interim poterimus vti calefacientibus, confortantibus, quando prolungatur ęgritudo, dicit Auic. vt vngendo ſtomachum cum oleo abſinthii, vel menthæ, vel actualiter applicando calida ſtomacho, vel faciendo emplaſtrum ex eis cum ligno aloes, pariter etiam poterimus applicare hepati oleum ſquinanthi, capparum, fœniculi, ſaluię, & ſimilium, vel ex ſimilibus facere emplaſtra & etiam tollere tenſionem hypocondriorum, ſi fuerit apparentibus vero ſignis manifeſtæ & completę digeſtionis, & natura non completæ educente, tunc dicit Auic. oportet euacuare, & vtemur medicamentis educentibus choleram, & phlegma, puta dando drag. i. ſ. rhabarbari, agarici trochiſcati vel in infuſione, vel in ſubſtantia vne. i. addendo parum ſpicæ, poſt drag. vi. caſſiæ cribellatæ, & drag. ii. elec. Indi, vel diapheniconis poterimus vti. Poterimus quoque conficere pilulas ex rhabarbaro, agarico, & dare puta drag. ii. Cæterum quoniam virtus eſt debilis, & ægritudo longa: ideo non vna vice damus medicinam, quę materiam peccantem totam debeat educere, ſed damus medicinam, quam vocant fortem debilem, & quæ trahit à remotis, ſed ſit in pauca quantitate, puta in forma pillularum dando ſcrup. ii. chochiarum, & aurearum ſcrup. i. vel faciendo vt maſticent drag. ii. rhabarbari. His datis medicinis, ſequenti mane poterimus dare vnc. i. zucchari roſati, vel aromatici roſati, vel ex ſandalis cum ſpeciebus aroma. roſati conficere confectionem in morſellis, & dare omni mane morſellum vnum per horam ante cibum cum pauco vino aromatico, ſic etiã cum frictionibus, cum debitis exercitiis, cum vnctionibus aperientibus, cum aliquibus aquis factis cum radicibus communibus, cum ſeminibus maioris communibus:

bus poterimus curare, vt insensibiliter, vel per sudorẽ, vel per vrinam excernantur superflua tertiæ digestionis, & hæc quantum ad causam remouendam.

Restat modo ordinare in sex rebus nõ naturalibus. Quantum ad cibum, dicit Gale. 1. ad Glauco. de cura tertianæ nothæ, ꝙ cum cibo est prouidendum ne morbus augeatur, & tamen est etiam aduertendum, ne vires prosternantur, quoniam ista febris de se est longa, & hoc est difficile. Nam inedię quantum prosunt coctioni morbi, tantum nocent viribus, cibi vero quantum vires augent tantum coctionem impediunt, oportet ergo Medicum cogitare vires ægri an sint validæ, vel debiles, & morbi magnitudinem, sic viribus existẽtibus fortibus, minus est dandum, si ægritudo sit magna, si uero virtus sit debilis, plus est dandum. Vndę non limitata potest dari regula, sed saluatis conditionibus vniuersalibus, quas de mente Gal. adduximus in cura tertianæ puræ, quoniam in veritate morbus est lõgus. Ideo oportet, ꝙ diu seruetur virtus, & sic crassius poterimus reficere quàm in pura: oportet ergo, dicit Gale. non quotidie cibare, sed alternis diebus, vt bis in die infebricitationis, tamen poterimus etiam cibare semel in die paroxysmi, & in declinatione, leuiter tamẽ, vt dando aliquam sorbitionem vel parum ptisanæ, vel panatellæ. Cibi etiam dicit Gale. ibi, non debent esse aquæ frigidi, sicut in pura, quia est maior intentio incidendi, & aperiendi, & minor remittendi calorem febrilem. Oportet quoque, dicit Auic. in principio crassius refi cere, quàm in pura, quia est longior. Cibi autem qui dari debent in die infebricitationis erunt, sicut oua sorbilia, contusum ex carnibus volatilibus, & illi omnes quos enumerat Gal. in tertiana pura, sed in maiori quantitate. De vino nihil, dicit Gal. Paulus, & Auię.

Cre

Crederem, quum in principio non conueniat, apparentibus tamen ſignis digeſtionis, poteſt dari, & in maiori quantitate, & aliqualiter magis vinoſum, quàm in pura, quia cibi conueniunt, & potus, qui iuuant excretiones, & magis vergunt verſus calidum, quàm in pura, poterimus tamen vti etiam aqua dummodo ſit cocta, vt cum aliquibus incidentibus, vt cum radice apii, vel fœniculi. Aer non debet tantum infrigidari, ſed ſit temperatus: vergat tamen magis verſus frigidum, & humidum quàm verſus calidum & ſiccum. Somnus ſit temperatus, vt ſi eſt posſibile, plus ſolito, quia iuuat concoctionem, quietem laudat Gal. in primo ad Glau. cap. proprio, quia facit ad concoctionem, & tunc debemus vti calefacientibus, & calefacere hypochondria, & curare vt pori ſtent aperti, & excernantur ſuperflua nec retineantur excrementa, vel vrinæ, vel ſudores, accidentia animi, quæ aliqualiter calefaciunt apparentibus ſignis manifeſtæ digeſtionis, poſſunt concedi, quia tamen omnis motus animi non eſt in poteſtate noſtra, & aliquando accidentia ſunt maiora, quàm velimus: debemus curare, ne æger iraſcatur, dolore afficiatur, non inuidia crucietur, & ſimilia, quæ poſſunt maxime agitare. Sed aliqualiter lætetur, & ſine triſtitia viuat, ſymptomata non ſunt magna, nec ſæua in hac cura, ideo de his pauca eſt habenda cura.

De Cauſo, & eius curatione.

Cauſus febris eſt ardens, quarto regim. acut. 14. pura, quæ fit ex flaua bile, 3. regim. acut. vltimo, putreſcẽte in magnis vaſis, 2. de Criſi. 6. Et hæc eſt, quæ ardẽtisſimam habet ſitim, & calorem intenſisſimum, quarto regim. acut. 13. non pura poteſt fieri ex phlegmate

ſalſo.

falſo,& dicitur ſpuria,tertio reg.acut.vlt.& quarto re gimi.acut.13. & hæc accidentia non habet adeo ſęua, poteſt etiam fieri ex cholera admixta phlegmati, quia vt dicit Gal. quarto Apho. 59. cauſus fit ab eodem humore, à quo tertiana ꝙ ſi ſit tertiana notha ex cholera admixta phlegmati,fit etiam cauſon nothus eodẽ modo. Cognoſcitur ex duobus ſignis propriis inſeparabilibus,pręcipuè ſcilicet, quia cum eo eſt ſemper intenſa febris,& clamoſa ſitis,dicit Gal.4.regi.acut. 13. & hoc in ſummo in pura,remiſsius,in ſpuria. Pariter febrem habet continuam,& nunquam ad infebricitationem deſinẽtem,2.de Criſi 3 & ſeptimo, ex iſtis ſignis hoc eſt ſignum proprium,& inſeparabile cauſonis, verum eſt,quòd ſunt iſta ſigna intenſiora in vero cauſone quàm in ſpurio,4 regi.acut. 13. Verus autem cauſon facit,ꝙ corpus laborat laſsitudine vlceroſa, 4. regim. acut.2. & ſequitur longum iter, longamq; ſitim 4. regim.acut.3. linguam habet aſperam,ſiccam, & nigrã: ventrem morſu dolentem,deiectiones liquidas, & pallidas,vigilias,& aliquando alienationes, 4.regi.acut. quarto, cauſon vero ſpurius habet aluum ſolutum, ſitim magnam,linguam aſperam,ſiccam,& ſalſam, 4.regim.acut. 13. vrinæ defectus, vigilias & refrigerata extrema. Hæc ſunt ſigna ponentia differentias paſsiones,fit autem cauſon verus,maxime in iuuene,temperaturæ calidæ & ſiccæ,tempore calido & ſicco, exercitato quãdo ieiunauit,regimine calido & ſicco,qui fuerit vſus cibis calidis & ſiccis,ſecundo de Criſib. 30. & de ſe ſeptem dies non tranſit, 4.Apho. 59. hæc ſunt ſigna cauſonis. In cuius cura, maxima in cura puri, ſic eſt procedendum, res omnes, quas conſiderare debet Medicus in alicuius ęgritudinis cura in triplici ſunt differentia. Nam quædam ſunt res naturales, quædam

non naturales, quędam pręternaturales, ficut dicit Gale. 3. de Cauſ. pul. primo, ergo de iſtis in hac cura loquendo incipiemus à præternaturalibus. Res igitur pręternaturales tres ſunt, ſcilicet cauſa morbi, morbus, & ſymptomata, tertio de acc. 1. quę omnes de ſui remotione indicant, lib. de conſtit. artis med. 19. in horum autem remotione à magis vrgente eſſe incipiendum, 7. de Ing. 12. Symptomata aliquando morbum augent, & virtutem proſternunt, & tūc ab ipſis eſt incipiendum, 12. de Ing. primo, quum tamen principalis, & regulata cura ſit incipere à cauſa, ſi eſt posſibile, vt etiam ibi dicit Gal. Ideo ſuppoſito, ꝙ in hac cura, licet accidentia ſæua ſint, quę tamen penitus virtutem non proſternant, ab ipſius cauſę remotione eſt incipiēdum, poſt de remotione affectus demum de ipſis loquendum ſymptomatibus. Remedia, quibus vtimur in cauſa ſunt phlobotomia, conſiſtente virtute, cataplaſmata, purgationes, digeſtiua, & ſimilia, ſicut dicit Gale. primo regi. acut. 43. quæ harum præcedere debeat, dictum eſt. Quum ergo Medicus adit febrientē hac febre, primo ſi ſunt retētę feces, ante cibum debet præparare clyſterem, quem laudat Gale. vndecimo de Ing. nono, ex oleo ſcilicet, & aqua mellis, puta ſumendo vnc. 6. olei, & tres vel quatuor aquę mellis. Iſte .n. clyſter omnes habet intentiones, quæ in clyſtere deſiderantur, intendimus enim remollire feces induratas, lubricare inteſtina, ſtimulare expulſiuam, infrigidare & humectare in iſtis febribus, oleum ſtimulat & lubricat: aqua mellis abſtergit, & remollit feces, & in ea nihil eſt, ꝙ inflammet: facto clyſteri in ſero, ſequenti mane, ſi ſunt aliqui humores crudi vel indigeſti in ſtomacho, & in ſuperioribus inteſtinis, vel meſeraicis per mediam horam ante cibum poteſt exhiberi medicamē

F tum

tum, quod lenitiuum vocant, puta vnc. 1. casſiæ, vel vnc. 2. mannæ quod ſi volumus ſtimulare, poſſumus addere vnc. 1. elect. roſ. Meſue. Poſſumus quoq; dare diapruni non ſolutiui vnc. 1. vel octo pruna cũ aqua mellis, poſt bibendo decoctionis fructuum vnc. 3. ſyrupi violati, vel decoctionem mercurialis, vel infuſioně tamarindorum in ſero, poſt debet fieri phlobotomia per horam ante cœnam, ꝙ ſi non ſint retentæ feces, nec repletus ſtomachus, melius eſt ſubito vti phlobotomia, 9. de Ing. quinto, ſi igitur virtus ſit fortis, & ætas patiatur, quia morbus eſt acutus, fienda phlobotomia ſic, vt patet ab Hip. quarto regim. acut. 17. & Gal. in lib. de phlobotomia, ꝙ ſi ſit ęger ante annos 14. tũc non eſt fienda phlobotomia, 11. de Ing. 14. tertio de Ing. diſt. 3. cap. 5. in ſene autem etiam ſeptuagenario modo virtus conſtet eſt fienda, ſicut fecit Gal. in lib. de phlobotomia, verum eſt ꝙ in ipſis, quia calor naturalis eſt debilis, vt plurimum virtus non conſtat, quarto regim. acut. 17. & in lib. de phlobotomia, ꝙ ſi virtus non conſtet, etiam penitus à phlobotomia eſt abſtinendum, ſicut in lib. de phlobotomia dicit Gal. ſi ergo eſt poſſibile, quando fieri debet, eſt fienda in hac febre ardenti vſque ad ſyncopim, primo Apho. 23. ſic enim dicit ibi Gal. totus habitus corporis refrigeratur, & febris extinguitur, & ſudores emanant, & aluus citatur. Quare plurimum ſignatur, vel ſaltem vehementia febris abſcinditur, quòd ſi tantam copiam mittere nõ volumus, ſaltem debemus copioſè phlobotomare.

Quantitas autem ſanguinis mittendi deprehenditur à regione, complexione, ſtatu cœli, tempore annui, quòd ſi omnia indicent de non mittendo ſanguine, vt in complexione debili, regione calida vel ſicca, tempore calido & ſicco, tunc nõ eſt fienda phlobotomia, 11.

de

11. de Ing. 14. & primo ad Glau. de cura continuarũ, ꝙ si omnia, quæ indicant de mittendo sanguine adsint, tunc, vt dixi, vel est mittendum vsque ad syncopim, vel copiose saltem, vt saltem mittendo lib. i'. sanguinis. Si vero aliqua adsint, non est mittendus, sed magis & minus, secundum diuersitatem conditionum. Istæ n. conditiones, vt dicit Gale. in lib. de phlobotomia non indicant per se de mittendo, vel non mittendo sangui ne, sed de maiori vel minori quãtitate: sunt enim tres tantum conditiones, quæ indicant per se de non mittẽ do sanguine, virtus scilicet debilis, ętas non florens, & morbus non indicans de sanguine mittendo, verum est ꝙ si illæ aliæ omnes simul iungantur de non mittendo sanguine indicant, quas sub aere posuit Gal. quarto re- gi. acut. 17. Si autem sit maxima cholerę abundantia, vel cum diminutione sanguinis, vel humorum crudo- rum copia, etiam non est fienda phlobotomia, quia sic virtus non constat, sicut in lib. de phlobotomia dicit Gal. sed est intentio de pharmacia. Quod igitur ad pharmaciam attinet, vel materia quæ peccat, est furio sa vel non. Est autem furiosa quando est in motu in- differenter, vel ad loca expulsionis, sicut dicit Gal. octa uo de med. comp. quando confecit hieram Themiso- nis, vt dummodo sit cum periculo, 4. Apho. 10. si ergo materia sit talis, indigesta debet educi, 1. Apho. 22. & 24. & secundo Apho. 29. & 4. Apho. 10. si tamen est possibile, oportet vti digestione Medicum aperiendo scilicet vias, & resecando humores, & quoniam hæc habent fieri in pauco temporis spacio, ideo oportet vti multum calidis, etiam ꝙ noceamus febri, quia maius se quitur iuuamentum nocumento, & hęc fit cum deco- ctione pulegii, origani, calaminthæ in melicrato, facta ista digestione, si materia turget, est dandum medica-

mentum,& cum pręmeditatione dicit Hipp. 1.Apho. 24.non ſemper ſic ad pharmaca ſolutiua in principio eſt recurrendum,dicit ibi Gal. bene omnia examinando,vt naturam infirmi,vtrum ſcilicet ſit idonea purgationi,aut laboret multa cruditate,an habeat crudos,& tenaces cibos in ſtomacho, an habeat ilia extenſa, & nimis calida,quia iſtis exiſtentibus conditionibus,etiã ſi materia ſit furioſa, à pharmaco eſt abſtinendum, vt ego cenſeo. Quare melius eſt ęgrum mori ex malignitate morbi,quàm pharmaco eum interficere: in eis.n. vtendo pharmacis,& ars,& medicinæ vileſcunt, ſicut dicit Gal.11.de Ing. nono,ꝙ ſi iſtæ non adſint conditiones,apertis viis,& reſecatis humoribus, ſi eſt poſſibile,dabimus medicamentum. v. g. rhabarbari drag. 2. caſſię drag 6. elect.roſati Meſue drag. 2. hęc omnia educunt choleram, non tamen cum maxima agitatione, ꝙ ſi eſſet etiam admixtum phlegma, poſſumus addere drag.1.& ſem.agarici trociſcati,faciendo infuſionem in aquis endiuię & cichoreę,ſicut communiter fit,& poſſumus magis & minus fortiora vel debiliora pharmaca dare,ſecundum ꝙ vires fuerint: tantum.n. eſt pharmacandum,quantum vires fuerunt, 1. Apho. 23. quod cognoſcitur ex qualitate eorum, quę excernuntur,ſi talia ſint qualia eſſe debent,& ęgri facilè tollerent,1. Apho.2. & 22. & quarto Apho.2.& cognoſcitur ſi ęger ferat grauiter purgationem, 4.Apho.39. Sic etiam aduertendæ ſunt alię conditiones, quas enumerat Hippo.ibi in 4.parti.Apho. & videbimus quando fortiora, & quando debilia ſint danda pharmaca, & per quã viã, & hęc omnia colligit Gal. 1. ad Glau. de cura continuę cum accidentibus, ꝙ ſi materia furioſa non ſit indigeſta educi non debet, 1.Apho.22. & octauo de medic. vbi refert hieram Themiſonis aliter

ſequen-

ſequentur illa inconuenientia, quæ refert Hippo. primo regi.acut.2. hoc autem eſt interdum de materia faciente morbum. Nam quando timemus de alio morbo futuro, quod periculoſus ſit, etiam indigeſta materia eſt pharmacandum, ſicut fecit Gale.vlt.de Ing. 14. in timore phthiſeos 13. de Ing. cap. 16. in cura oculorum 14.de Ing.octauo. in cura tremoris linguæ, quarto regi.acut. 16.in angina, iſtam digeſtionem facit natura, primo prognoſt. vltimo, ſemper incraſſando, 2. prognoſt.33 & ſeparando bonum à malo, & malum ad educendum aptum reddendo: materia enim digeſta facilius educi poteſt, 1.Apho 22. Iſtam digeſtionem poterimus iuuare cum confortantibus & roborā tibus virtutem digeſtiuam: nos autem faciemus corpora fluida, hoc interim ſicut eſt neceſſarium, ſecundo Aph.9. & hoc faciemus cum decoctionibus, quæ ſunt minus calidę quàm illæ, quibus vtimur in materia furioſa, quia longius eſt tempus, verbi gratia, radicum capil.veneris, foliorum bugloſſæ, endiuiæ ana m.5. radicum cicoreę, & apii mundatarum ana numero 8. fiat decoctio ſecundum artem vſque ad conſumptionem tertię partis, vel medietatis aquę. Deinde fiat colatura, de qua capiat mane vnc.6. calidę, addendo parum zucchari, ſic etiā prouocamus ſudores & vrinas, quod eo tempore conuenit, 11.de Ing.9. Poſſumus quoque dare oxymelitem ęſtate frigidum, hyeme vero calidum, 1.regi.acut.42. oportet dare quod multum nō ſit acetoſum, quia abradit inteſtina, tuſſim excitat, & neruoſa lędit: pariter non oportet dare in multa quantitate, 11.de Ing.11. vel ſi volumus dare in forma ſyrupi, poterimes dare, puta oxymeli vel acetoſi ſimplicis vnc.1. quoniam etiam aliqualiter digerendo oportet habere curam etiam infrigidandi propter intēſum

calorem febris. syrup. de endiuia vnc. 5. aquarum endiuiæ, & cichoreæ ana vnc. 1. & sem. sic igitur digerendum, & prouocanda vrina, & sudor, si natura tentet vomitum, poterimus eam cum aliquo leui vomitiuo iuuare, puta cum aqua hordei calida, & pauco, vel syrup. acetosi, vel cum penna in oleo intincta. Quum autem deueniemus ad tempus perfectę digestionis, quoniam est aptum pro Crisi. naturę est aduertendum, si ipsa natura totam materiam euacuet, & sic nihil quo ad istam intentionem debet facere Medicus, 1. Apho 20. & 22. in commento, & hoc sæpe facit per fluxum sanguinis narium, 4. regim. acut. 10. vel mittendo materias extra venas, & sic faciens rigorem, post sequitur eum solutio per sudorem, velut in 4. Apho. 58. aliquando etiam soluitur per vrinas, 4. regim. acut. 10. ꝙ si ipsa aliquid relinquet, quia quæ talia sunt solent facere recidiuam, 2. Apho. 12. tunc Medicus debet iuuare per eam regionem, per quam incępit euacuare natura, primo Apho. 2. & sequi eas conditiones, quas de euacuatione diximus in cura tertianæ puræ. Pharmacum vero quo vti debemus, est illud de quo supra, quando loquebar de materia furiosa. Exhibitio pharmaco, si aliqua sit impressa caliditas in membris ab ipso, vel debilitata membra principalia, sequenti die dabimus species tria sandalorum, vel diarrhodon abbatis, facendo morsellos cum zuccharo, & dando singulo mane morsellum vnum, vel dabimus zucchari rosati vnc. 1. vel syrupi rosati vnc. 1. cum vnc. 3. aquæ boraginis. In istis temporibus cum frictionibus, cum vnctionibus rarefacientibus, cum debitis exercitiis, si erit possibile, eum curabimus, vt si aliqua superflua tertię digestionis restiterint, excernantur semper, non omittendo clysteres, si aluus sit sicca, donec æger bene habeat ventris

bene-

beneficium, hæc quo ad cauſam morbi. Veniendum modo eſt ad morbum, duo ſunt præcipua remedia in cura febrium ardentium, phlobotomia ſcilicet, & exhibitio aquę frigidę, primo Apho. 23. 9. de Ing. nono, poſtquam ergo iam eſt dictum de phlobotomia, eſt dicendum de exhibitione aquę frigidę: intentio enim de ipſa exhibendo, ſumenda eſt pręcipuè à morbo. Cauſon enim quum febris ardentisſima ſit, quæ ſecus trahit intenſisſimum calorem, & intenſisſimam ſiccitatem hinc indicatione ſumpta ab ipſo, intentio eſt de exhibitione maxime frigidorum & humidorum. Quum autem huiuſmodi maxime ſit ipſa aqua, intentio igitur ſumpta ab ipſa, quæ maxime conuenit, eſt aqua frigida, primo regi. acut. 42. Hinc dicit Gal. 4. regim. acut. 12. ꝙ omnes febre ardenti laborantes, quibus exhibuit aquam frigidam ſanauit, idem nono de Ing. 6. Hinc crederem, ꝙ (licet hoc remedium modo non ſit in vſu) optimum eſſet, eo vti: apparentibus igitur ſignis manifeſtę digeſtionis, quando eſt maxima flamma, eſt dãda aqua frigida, 9. de Ing. quinto, ſi ſtatus cœli ſit calidus & ſiccus, & omnes vires ęgri valeant, nec ſit ſenex, 11. de Ing. 9. maxime ſi æger ſit aſſuetus, quòd ſi non ſit aſſuetus, dabis, ſed non adeo audacter, 9. de Ing. 5. Aduertendum tamen eſt ſi plurimi indigeſti, & glutinoſi ſint humores in ſtomacho, ſi inflammatio in interioribus, ſi ſit aliquod mẽbrum neruoſum debile, quia nec tunc aquam dare oportet, 9. de Ing. 5. niſi ſit periculum mortis, vel hecticę, quoniam ſi eſſet apoſtema in interioribus, & indigeſta materia liceret dare ipſam ſicut fecit Gal. 10. de Ing. 6. quantitas autem dicit Gale. primo regi. acut. 42. debet eſſe tãta quod extinguat febrem, & hoc eſt quantum ęger vno hauſtu poteſt bibere, vel quantum voluerit æger, 9. de Ing. 5. & ſunt

duę cotylę, decimo de Ing. 5. ſcilicet vnc. 18. & debet dari vacuo ſtomacho. Nec etiam ſunt admiſcenda, quę poſtea refrigerant, quia ſic nimium forſan reſtarẽt frigida, & cùm de hoc nihil dicat Gale. conſonum eſt, ꝙ non ſint miſcenda, pariter nõ eſt danda in pauca quã titate, quia ſic febrem non extinguit, nec ſitim, & multum nocet, ſicut tertio regi. acut. cap. de aqua dicitur, eo tempore etiam, & illis ſtantibus conditionibus poterimus balneare in aqua dulci, dicit Gal. 11. de Ing. 9 vnctiones pariter frigidę eo tempore conferunt, & poterimus inungere eum infrigidante, quod deſcribit Gale. 10. de Ing. 9. quo eſt etiam vtendum in cauſone, vt dicitur in lib. de tabe, ſic etiã poterimus applicare alia epithemata frigida, vt ex ſandalis, ex camphora, niſi non ſit maxima vigiliarum inſtantia, ex ſucco plantaginis, & ſimilibus infrigidantibus, nec eſt neceſſarium admiſcere calida, quia vt in alterando exterius nõ multum eſt periculum, & indifferenter poſſunt applicari omni membro, 7. de Ing. 8. & vltimo, & quando iam ſunt calefacta à calore febrili debent remoueri, & iterum applicari frigida, 10. de Ing. 9. Aduertendum eſt tamen, ſi aliquod ſequeretur nocumentum alicuius partis proximę, tunc non debent amplius applicari, vel non multum frigida, ſicut fecit Gale. ſeptimo de Ing. 8. in ſecundo infirmo. Hęc ſunt pręcipuè tria remedia, quę valent humectando & refrigerando. Alia dicemus in ſermone ſex rerum non naturalium. Veniendum modo eſt ad ſymptomata, quę etiam de ſui remotione indicant. Sunt enim pręter naturam accidentia, quę morbum ſequuntur, ſicut vmbra corpus, 3. regim. acut. 1. & hęc ſunt in triplici differentia, ſcilicet corporis affectus, actio lęſa, & exiens mutatum, 12. de Ing. primo, 3. de accid. ſecundo, hęc etiam de ſui natura, indica-

indicationem non prębent curatiuam, nisi inquantum induunt naturam causę, vel virtutem prosternunt, 12. de Ing. primo. Quum igitur talia sint, ab ipsorum remotione est incipiendum. Cęterum quoniam sępe morbus ipse, & causa diuersam exigunt curam, in cura symptomatum, 11. de Ing. 11. ideo videndum est, an tale posset reperiri remedium, quod ad vtrunque valeat, & tunc erit directa cura, 12. de Ing. primo. Quod si tale non reperimus, debemus attendere vrgentiori, altero non neglecto, 7. de Ing. 2. sicut etiam est faciē dum in symptomatibus: quando enim duo infestant, semper vrgentiori attendendum est, altero non neglecto, primo ad Glauco. de cura febris continuę cum accidentibus. Symptomata ergo, quę sequūtur febrem ardentem sunt, primo sitis intensa, quarto regim. acut. 13. lingua sicca, & nigra, ventris morsus, & eius fluxus cum materiis pallidis, & liquidis, vigilię, & aliquando alienationes, quarto regim. acut. 4. Quod si sit causon à phlegmate salso, linguam habet salsam, quarto regi. acut. 13. Quantum ergo ad sitim ipsam quantum sit inseparabilis à causone, remedio Medici auferri nō potest, nisi & ipsa tollatur ęgritudo, sed quoniam, vt dicit Gal. primo de dieb. crit. quum est sitis adeo intensa & clamosa, non oportet cruciare ęgrum, poterimus dare aquam mellis, sicut facit Hippo. 4. regim. acut. 5. Sed quoniam aqua mellis, ratione mellis inflammatur cito & sic nocet febri, 11. de Ing. 11. Imo debet esse cum pauca mellis quantitate, magis tamen laudat ibi Gal. cremorem hordei, quem possumus facere modo, quia grossius reficimus, nisi timeamus, quod acrescat in stomacho, 1. ad Glauco. de cura feb. cōtinuarum cum accid. Aquam quoq; exhibere possumus, sed coctam, quia sic multę tolluntur noxię ipsius aquę, 4. regim. acut. 5. & est

eſt bonum in ipſa decoquere radicem apii, ſicut dicit Gale. nono de Ing. 9. ſic enim prouocabimus ſudorem & vrinam, poſſunt admiſceri ſemina communia, quia refrigerant, & vrinam cient: poteſt etiam fieri aqua hordei, quę licet non habeat omnes intentiones ptiſanę, humectat tamen & refrigerat, & ſic aliqualiter ſitim tollit, quod ſi eſt poſſibile, oportet aquarum harũ magnam dare quantitatem, ſed raro, 4. regim. acut. 5. quia in pauca quantitate ſitim non ſedat, & in bilem cõuertuntur. Poteſt quoque ęger tenere in ore pruna ſicca, vel macerata in aqua frigida. Sic enim faciendo ęger melius tranſit ipſam ſitim: quo vero ad linguam, debemus curare vt mundetur, abſtergatur, puta lauando os cum aqua mellis, & radendo ipſam cum aliqua re aſpera, & curando vt ęger parum loquatur. Fluxus autem ſi immodicus ſit, debet curari, quod ſi non ſit ſuperfluus, quoniam forſan eſt criticus, ſi habuerit conditiones ad criſim, quas enumerat Gale. primo Apho. 2. non eſt impediendus, ſuperfluus autem curatur, primo vtendo clyſteri, quem vocãt lauatiuum, ſcilicet ex brodio, zucchara, & vitellis ouorum, vt non radantur inteſtina, & ſequatur dyſenteria, quod ſi ſequitur, poterimus vti clyſteribus faciendo decoctionem, vt cum balauſtiis, cum carabe, meſpilis, cum elect. de ſorbis, & ſimilibus: item etiam poterimus applicare cęrata ſtyptica, vngendo cum oleis ſtypticis, puta cum oxyrhodino, & ſimilibus. Quod ſi ſequatur ſic, ꝙ faciat dyſenteriam, tunc dicit Gal. 12 de Ing. 1. omnis cura eſt adhibenda ad ſymptomata, & tunc per clyſterem indimus, vel tragi ſuccum, vel ſęuum hircinum, vel roſaceum, vt vires quieſcant, donec habeamus tempus ſanandi vlcerationem, quam poſt ſanamus imponendo per anum res conſolidantes, quod ſi ſit cum ea dolor immodi-

immodicus, ſic vt proſternatur virtus, auferendus eſt dolor, ſi eſt posſibile cum rebus quę morbo, & ſympto mati conueniunt, & videndum ne quid nimis agas, dicit Gal. ibi. 12. de Ing. primo. quod ſi non ceſſat dolor, tandem veniendum eſt ad opiata, potiuſquam ęgrum relinquere mori ex doloris vehementia, vt dando philonium, quod ſit quatuor annorum. Quod ſi etiam ſequitur ſyncope, primo aſpergendo ęgrum aqua frigida, nares apprehendendo, & os ventriculi perfricando curari debet, dicit Gale. primo ad Glauco. de cura febr. continuę, oportet quoque prouocare vomitum, ligare manus forti ligatura, & ſi ſequatur ſyncope ex alia cauſa curanda eſt, vt dicit ibi Gal. Quo vero ad vigiliam dicit Gal. 12. de Ing. 1. vigilię tantę ſunt aliquando, vt virtutem proſternant, ideo debemus curare, vt ęger tunc dormiat. Cęterum quoniam ſomnifera vt plurimum ſunt morbum augētia, & eius cauſam, ideo debemus ea euitare, quantum poſſumus: debemus ergo primo curare, vt ęger quieſcat, quantum poteſt, ſit camera clauſa & obſcura, ſine hominum concurſu, quod ſi adhuc non poteſt dormire, poſſumus facere decoctionem ex rebus frigidis, vt ex roſis, nenuphare, portulaca, lactuca, endiuia, addendo parum mandragorę, vel apii: poſt ex ipſa decoctione lauare ęgri extrema, & facere, vt odoret vapores illius aquę, quòd ſi adhuc hoc non iuuat, poſſumus, dicit Auic. in hac cura dare ſyrupum de papauere, puta per horam poſt cœnam: poſſumus quoque iungere tempora vnguēto populeo. Verum eſt, ꝙ vt dicit Gal. 12. de Ing primo, debemus omni ingenio curare, vt non vtamur iſtis frigidis, quia frigidum multum naturę inimicum. Sed quando eſt neceſſarium vti, ſaltem ipſis eſt vtendum cum maxima cautela, bene examinando naturam infir

mi,

mi, & vrgentiam doloris, vel vigiliarũ. Quod si etiam sint alienationes, quia tunc est periculum phrenetidis si in principio sint, possumus applicare capiti oxyrhodinum, sicut dicit Gal. 13. de Ing. cap. 15. Item quando illa alienatio est propter vapores eleuatos, maxime à corde, poterimus facere epithemata cordi, maxime si sint factæ vniuersales euacuationes, ex rebus frigidis, & cor confortantibus vt ex sandalis, croco, succo boraginis, & buglossæ, cũ aqua rosata. & similibus. Item poterimus facere frictiones, trahendo deorsum, & satis fortes, post sunt applicandę dorso cucurbitulę, & sic confortando membrum mandans, reprimendo, & diuertendo à membro suscipiẽte, alienatio curatur, hęc sunt quę sunt dicẽda quo ad remotionem trium rerum præter naturam. Veniendum modo est ad res naturales, quas quantum ad curam modo considerare debemus sunt virtutes, complexio, ætas, & consuetudo, quæ de sui conseruatione indicant, quod fit cum similibus in lib. art. med. 85. considerandum est ergo qualis sit virtus, & quanta, & videndum quomodo poterit durare vsque ad statum, & sic pro eius conseruatione est dandus cibus, sic q̄ cõseruetur, vt possit restare pro pugna contra morbum, sed de hoc dicam loquendo de sex rebus non naturalibus. Considerandum & qualis sit complexio ægri, vt sciamus quantum alterare debemus, dicit Galenus nono de Ing. 14. Quum enim corpora ægra in naturali complexione conseruare intendamus, octauo de Ing. nono, tantum est alterandum, quantum est necessarium pro naturalis complexionis conseruationem, & sic dabimus cibos, vel alias res secundum complexionem ægri: ætatem pariter oportet considerare, & talia exhibere, qualia illi ætati conueniunt, & ita in pueris, ratione ætatis, laudabat victum

victum humidum Hippo. primo Aphoris. 16. consuetudo quoque quum sit altera natura seruari debet in ægris, vt cibando hora consueta, curando vt dormiat hora consueta, vt vtantur cibis quantum possibile est consuetis, etiam ꝙ essent parum deteriores, secundo Apho. 5. pariter in eductionibus debemus videre, an sit solitus euacuationibus: consuetudo enim dicit Gal. primo ad Glau. de cura cõti. cum accid. non parum est momenti ad omnia peragenda, maxime ad euacuationes. Quod si alię sunt res, quę inter naturales reponantur, ferè ad has tres reducuntur, & omnes de similibus exhibendis, & de sua conseruatione indicant. Vltimo est dicendum de sex rebus non naturalibus, quæ conseruant sanitatem, vel amissam recuperant, si debitè administrentur, & eam destruũt si indebitè. Primo ergo est Aer, à quo maxime sumitur indicatio, 9. de Ing. 14 ꝙ si calidus sit & siccus febrem auget, si frigidus & humidus eum curat, si ergo naturaliter possit haberi Aer frigidus & humidus, ipsum eligere debemus, ꝙ si eum non habemus, debet taliter fieri artificialiter, eligendo domos subterraneas, quæ frigidissimæ sint, & maxime perflatę ad arctum versæ cum aliquibus auris, ibi sint alicubi fontes, qui si non sint, aqua de vase in vas transfundatur: sic .n. somnũ ciemus, quod maxime confert. Camera sit aspersa aqua frigida, rosis capreolis vitium, aut lẽtisci ramis, aut aliis herbis, quæ refrigerent & humectent: prohibendũ est ne turba hominum in cameram ingrediatur, debemus tantũ aduertere ne talis aer toti corpori occurrat, quia sic augeret opilationẽ, sed ęger debet stare coopertus, excepta facie, hęc oïa dicit Gal. 9. de Ing. 8. Secundo est cibus & potus, Gal 1. ad Gla. de cura tertianę nothę, & 1. regi. acut. 43. dicit, ꝙ virtus indicat de cibo dãdo, ægritudo

quæ

quę est malum, de non dando cibo: si ergo ęgritudo sit breuis, & vehemens, & virtus fortis, nihil dare debemus. Quum ergo causon de se in septima terminetur, 4. Apho. 59. vehemensq; sit morbus, ideo si virtus sit fortis, quia durabit vsque ad septimum nihil est dandũ, sicut dicit Hipp. primo regim. acut. 43. Verum est, vt in eo com. dicit Gal. quòd raro est ꝙ virtus sit fortis tã tum, vt possit sine alicuius rei exhibitione durare vsq; ad septimam, & tunc oportet dare ptisanam. Quum ergo & nos tempore nostro non sciamus præcisum ter minum status, & si sciremus, sępe impeditur propter er rores, quos sæpe astantes, & ęgri committunt, & si tenuissima dięta vteremur, esset forsan necessarium ciba re in statu, quo nihil pernitiosius est, 2. regim. acut. 46. tunc enim tenuissima dięta vti debemus, primo Apho. quinto, & sic est melius aliquid dare, & error est minor. Verum est, ꝙ in ipso principio, quando volumus videre constantiam virtutis, vsque quo poterit durare vti possumus tenui dięta, si ignoramus ægritudinem, ꝙ si erit nimium tenuis, poterimus corrigere, ipsam in grossando, secundo regi. 37. sed cognita natura ęgritudinis, & virtutis, ordinando regimen vsque ad statũ, est melius declinare versus grossum, quàm versus tenuem, primo Apho. 5. Debemus autem pręscripta dięta in ordine ad statum semper procedere attenuando, & in statu vti tenuissima dięta, sicut in cura tertianę ex authoritatibus Gal. dictum est, cibi autem sunt dandi hora minoris afflictionis, si paroxysmi habent aliquos tepores, quòd si semper eodem modo affligant, est eligenda hora consueta, maxime si sit pars frigidior diei, 11. de Ing 5. in inuasione autem morbi non est cibandum, primo regi. acut. 45. Cibi autem, qui debent dari, sint humidi, si est possibile, vel saltem in potentia,

pri-

primo Apho. 16. conuenientior cibus, qui dari possit, est prisana, quia omnes habet intentiones, quæ conside rantur in febribus acutis, primo regim. acut. 18. modo pręparetur, sicut docet Gale. secundo de alim. cap. de hordeo, & in libro de prisana, q̄ si ęger illam abhor reat, poterit vti farre cum modico aceti, primo regim. acut. 43. vel panatella, primo regi. acut. 18. & primo ad Glauco. de cura feb. continuę cum accid. pariter di cit Gal. ibi poterit sumere sorbitionem ex halica, verū est q̄ valent tantum vt cibi, dicit ibi Gale. ex oleribus poterit dari lactuca post ipsam, quarto de tuend. san. laudat Gal. cucurbitam post blitum, possunt dari pisces saxatiles, primo regim. acut. 27. Acetosa omnia non conueniunt, excepto oxymelite, primo regi. acut. 18. nisi esset fluxus ventris, vel febris pestilentialis, pariter non sunt danda salsa, nec acria, quarto regi. acut. octauo Aph. carnibus, ab ouis, & similibus cibis maio ris nutrimenti est abstinendum, nisi esset virtus multū debilis, quia tunc possumus dare contusum ex pullo gallinaceo, vel perdice. Vinum non est dando, nisi sit in declinatione, vel sit aliquod accidens, quod vrgeat, sicut syncope, & quę narrat Gal. primo ad Glauco. de cura feb. continuarum cum accid. Quòd si vrgens, & clamosa sit sitis, est danda aqua mellis, cum pauco tamen melle, & zuccharo, modo non bilescat in stomacho, primo ad Glauco. de cura continuarum sine accidentibus conueniunt postmodum alia, quæ diximus, quando loquebamur de siti auferenda. Tertio est mo tus & quies. Debet æger, quantum potest, quiescere, quia quies facit ad digestionem, & minus se mouere quàm sit possibile, quia sic etiā impeditur somnus, qui est necessarius, vt dictum est in declinatione debet vti debito exercitio, ventre vacuo, vt excrementa tertiæ

di

digeſtionis excernantur, quòd ſi non posſit deambulare, ſupplēdum eſt cum frictionibus. De vigilia & ſomno dictum eſt, quoniam maxime ſomnus cōuenit, ideo quando excedunt vigiliæ, debemus ipſum ſomnū prouocare cum his quæ dicta ſunt. Quinto ſunt ea, quæ excernuntur, de quibus etiam dictum eſt, curando ꝙ omne ſuperfluum excernatur, & ſi ſit ſuperfluus fluxus ſanguinis narium, vel ventris, debemus eum ſiſtere, vt dictum eſt. Sexto ſunt accidentia animi, quę ſi ſunt immoderata, virtutem proſternunt, ideo ea omnia vitare debemus, maxime quæ exiccant, & calefaciunt, ſicuti ira, triſtitia, & ſimilia, & hæc quo ad curam ſufficiunt.

De cura Febris ſanguineę.

Febris ſanguinis, quę ſynocha dicitur nono de Ing. ſecundo, à ſanguine fit, vel tantum ebulliente, non putreſcente, & ſic ſynocha ſine putredine dicitur, & inter ephemeras reponitur, nono de Ing. in principio, vel fit ab ipſo ſanguine putreſcente, & dicitur ſynocha cum putredine, 9. de Ing. 4. & hęc fit cum tota maſſa ſanguinea putreſcente, 9. de Ing. 3. & quod hanc febrē à ſanguine putreſcente concedat Gal. patet, ſecundo de diff. feb 9. & ſic ipſam docet curare, 9. de Ing. quarto. Verum eſt, ꝙ eſſe pura & ſimplex non poteſt, ſic quòd etiā cū aliquibus ſignis cholerę non appareat, ſecundo de Criſi. 12. & hoc decepit Auic. in prima quarti tract. ſecundo cap. 43. ſunt tamē ſimplices iſtæ febres eo modo quo ſumit Hippo. 3. prognoſt. ſecundo, ſcilicet puræ, & ſine ſęuis accidentibus, ſicuti ibi vocabulum exponit Gal, quod dicit Gal. ſecundo de diff. feb. nono, & iſtę cum alijs non complicantur febribus, ſicuti colligere poſſumus, ſecūdo de diff. feb. 8. Sunt autem in tri

plici differentia, quędam enim semper augendo procedunt, & dicuntur epacmasticæ, quædam eundem seruant tenorem vsque ad finem, & dicuntur homotonæ, quędam semper procedunt declinando, & dicuntur paracmasticę, 9. de Ing. 4. secundo de Crisi. 6. Fiunt autē istę febres in corpore sanguineo, corpulento, carnoso, calidis excrementis redundante in ęstate, & natura calida, non in gracili, & frigido corpore, ętate & complexione frigidis, 9. de Ing. tertio, & hęc vt plurimum in septem diebus terminantur, 2. de Crisi. sexto. Cognoscitur autem istę febris, ꝙ pulsus habet maximos ęquales, vehementes, secundum ꝙ maior est febris, 9. de Ing. 30. Item est continua vniformis, 9. de Ing. 4. calorem habet mitiorem, quàm febres cholericę, & etiā alia accidentia, 2. de diff. feb. 9. maxime ea quę sine putredine, in qua non est multum mordax calor, nec à naturali remotus, 9. de Ing. 4. inuadit sine rigore, quia hoc est commune omnium continuarum, 2. de Crisi. 6. vrinam habet nō plurimum in crassitie, & colore à naturali recedentem, 9. de Ing. 4. & hęc omnia signa sunt inseparabilia à synochis, & ex eis fit vnum signum proprium, & inseparabile, & conuenit vtriq; synochę, excepto ꝙ si nō sit synochus cum putredine, addit notas putredinis, quod cognoscitur ex lotio, pulsu, & calore: ea enim habebit lotium magis à naturali remotum, pulsum frequentiorem, & secundum systolem, calorē mordaciorem, 9. de Ing. 3. in cura huius febris quum non differat à causone, nisi ꝙ remissiora habet accidentia, & nisi secundum magis & minus, 2. de Crisi. sexto ideo parum à cura causonis est variandum, sic tamen est procedendū, sicut fecit Gal. 9. de Ing. quarto, quū synocha de remotione causę indicet, & de infrigidatione, indicatione sumpta à morbo, quę sępe contraria

indicant remedia, 9.de Ing.quinto,ideo optimum remedium in huius febris cura eſt phlobotomia vſque ad ſyncopim, 9.de Ing.quarto,quę ſi non fiat, male poſſumus vti aliis remediis, 9.de Ing.quinto, hęc enim, vt dicit Gal.primo Apho.23 & 9.de Ing.quinto,cauſam aufert,& totum corpus refrigerat, quam poſt ſępe ſequuntur bilis vomitus, ſępe alui fluor, & ſudores totius,hinc ſępe ex hoc ſolo remedio tollitur febris,quare ea nihil eſt naturę iocundius,nec vtilius. Quum ergo occurrit talis febris, ſi ęger beneficium habet ventris,nec humores in ſtomacho crudos, vel materias in meſeraicis corruptas,quia tunc opporteret vti clyſteri,vel lenitiuo, vt in cauſone fienda eſt phlobotomia vſque ad ſyncopim, ſi vires ſint ualidę,& corpus robuſtum,vnde debemus videre,an ſanguis mutet colorem an velociter & cum impetu fluat,& tenendo pulſum in manu videre an virtus conſtet. Sanguine enim colore non mutante, fortiter exeunte, & virtute perſeuerãte,eſt perſeuerandum, mittendo ſanguinem vſque ad ſyncopim,vt etiam dicit Gal. in lib. de phlobotomia, ꝙ ſi non ſic fortiter exeat, vel timeamus ne virtus labatur,ſic ꝙ leuari amplius non poſſit, tunc eſt melius vices multiplicare,ſicuti 9.de Ing.quarto, dicit Gal.aliter forſan non febrem,ſicut fecit Gal. ſed ęgrum iugularemus: facta phlobotomia poſt duas horas, vt virtus reſtauretur,dandus eſt cibus, & poſt curare oportet, vt ęger quieſcat, demum tertia die poteſt lauari. Sic enim faciendo, ſicut ibi fecit Gale. in primo ęgro, forſan ſine alio remedio ęger liberabitur,dando cibos conuenientes,& vtendo eo regimine, in ſex rebus non naturalibus conuenienti,& pręſertim in cura cauſonidis, & quoniam hic nõ eſt humor putridus, qui forſan reduci poteſt ad benignum ſi peccat, & hoc facere debemus

bemus, vt patet in libro de constit. artis Med. 19. & hoc fit attenuando humores si nimium grossi sint, vel incrassando si sint tenues. Ideo hoc in ista cura facere debemus, vt hic dicit Auic. Attenuabimus etiam grossum sanguinem, vtendo incidentibus, vel subtiliantibus, vt oxÿmelite, vt syrupis, & aquis aperientibus, vt faciendo syrupum sic, Recipe oximelitis simp. vel syrupi acetosi vnc. 1. syrupi de duabus radicibus vnc. 5. aquarum fœniculi & cichoreę ana vnc. 1. & sem. ꝙ si sint tenues, ingrossentur, vtendo cibis crassi nutrimenti, sicut fecit Gale. 12. de Ing. sexto, & si declinant ad igneitatem, vtendo rebus frigidis, vel intus sumptis, vel extra applicatis. Quod si sit synocha cum putredine, etiam pręmisso clysteri vel lenitiuo, idest necessarium, deinde viribus valentibus, & ętate consentiente veniendum est ad phlobotomiam, quę vsque ad syncopim fieri debet, sicut in secundo infirmo fecit Gal. nono de Ing. 5. Verum est, ꝙ ipse 9. de Ing. 14. dicit, quòd non adeò copiosa phlobotomia est fienda in putridis, vt restet sanguis, pro digerendis aliis humoribus, & vt alia remedia posſint applicari (forsan id dicit) quando dubitamus de viribus, est tamen tutè procedendũ, fienda quidem copiosa, vel iteranda, facta phlobotomia, dabat Gal. mulsam, post per horam, ptisanam, vt ęger reficeretur: ea autem febre perseuerãte, apparentibus signis manifestę digestionis, danda est aqua frigida vsq; ad saturitatem, sicut iubet Gale. decimo de Ing. 6. & quoniam pars sanguinis putrefacta iam ferè habet naturam cholerę; ideò febre perseuerante post phlobotomiam est procedendum cum prouocantibus vrinam & sudorem, cum clysteribus, & tandem apparentibus signis completę digestionis, si natura non tentet euacuare, procede cum iuuantibus eam, post cum confor-

tantibus stomachum, cum vnctionibus, cum frictionibus, & reliquis sicut dictum est in cura causonis. Regimen quoque in sex rebus non naturalibus eodem modo fit, sicut in causone, vel differt secundum magis & minus, secūdum intensiorem vel remissiorem febrem. Accidentia quoque, quę hāc febrem sequuntur, vt sitis, vigilię, & aliquando somnus, fluxus sanguinis narium & similia, sunt curanda sicut accidentia causonidis, & hęc pro ista cura sufficiant.

De Quotidiana pura, & eius curatione.

Quotidiana pura intermittens febris est ex phlegmate, 2. de diff. feb. secundo, putrescente, quia aliter non faceret febrem, 2. de diff. feb. quinto, transmisso à venis, extra venas, 2. de diff. feb. vlt. vel ab vna parte corporis ad aliam, primo epid. in secunda anni constitutione, affligit quotidie, 2. de diff. feb. 4. aduenit autem ętatibus, naturis, anni temporibus, & temperamētis humidioribus, pueris, & maxime infantibus pituitosis, habitibus crassis, otio deditis, pariter & crapulis, & ebrietatibus, balneis assiduis, præsertim post cibū, aduenit quoque temporibus hybernis, locis humidioribus, in constitutionibus humidis, & aliquando populo communicatis, primo ad Glauco. cap. de signis quotidianę intermittentis, secundo de Crisi. 5. aduenit quoque exercitatis post cibum, 1. epid. in secundo infirmo. Raro est, ꝙ ea adueniente os ventriculi & hepar non patiantur, 2. de Crisi. 5. accenditur autem sicut ignis in lignis viridibus, inde accessionis spatium est longius cessatione, raro ad perfectam terminatur infebricitationem, 2. de diff. febr. 4. Huius febris signa sunt, caliditas humida cum quadam acredine, quando perseuerat

rat tactus, fumosa, commixta cum multo vapore, 1.ad Glauc.de signis quotid.intermittentium, quę cum difficultate inceditur, & suum augmentum est longum, 2.de diff.febr. 4. non est intensa, sic ꝙ corpus adurat, vel qui denudare cogat, 2.de Crisi.5. & est inęqualis, sic ꝙ videtur per cribrum exire vapor, 2.de diff.feb.9. & 10. Incipit hæc febris cum extremorum frigiditate atque horrore, potiusquàm rigore, 2.de diff. feb.4. 2.de Crisi.5. qui eam patiuntur, non magnam habent sitim, linguam habent humidam, vomitus pituitosos, & quę excernũtur, sunt frigida, humida, & cruda, aquosa & pituitosa, & vniuersum corpus abũdat his superfluitatibus, non terminatur cum sudore saltem in primis paroxysmis, vrinę in principio sunt albę, & tenues aut crassę, aut turbulentę, aut turbidę, 1.ad Glauco.de signis quotidianę intermittẽtis pręcedunt acidi ructus pręcordia tumescunt & inflantur. Color cum palliditate fit albus, à stomachi & hepatis lęsione non absoluitur, 2.de Crisi.6. Et quoniam phlegmatis quatuor sunt species, vitrem scilicet, dulce, accidum, & salsum, 2.de diff.feb.6. & ab istis omnibus potest prouenire ista febris: ideo omnia talia phlegmata faciunt sua signa significantia differentiam passionis. Hęc tamen, quę secundum Gal.posita sunt, significant ipsam passionem. Cuius curam in vniuersali componamus, ad particularia non descendentes, sicuti nec fecit Gale. Sed qui naturam phlegmatis nouit, eorum etiam signa cognoscet & curam. Curando hanc febrem sic est procedendum, quum vt dicit Gal.11.de Ing.decimo, in putridis omnis indicatio sumatur, vel à febre, vel à putredine. Indicatione sumpta à febre debemus curare, vt quę facta est auferatur, & quæ futura est non fiat: pariter indicatione sumpta à putredine debemus curare,

vt quod iam putridum eſt auferatur, & quod imputre fieri eſt aptum, non putreſcat. Cum hoc eſt conſiderã da conſtantia virtutis an valida ſit, ſic ꝙ durare poſſit in applicatione remediorum, 11. de Ing. 9. & quando eſt valida, audacter ſunt applicanda remedia: ab horũ igitur cura eſt incipiendum, modo non ſit aliquod ſym ptoma, quod ad ſe totam curam trahat, quoniam tunc ab ipſo eſſet incipiendum, 11. de Ing. 11. vt ſi in hac febre eſſet ſyncope, ſicut ſępe aduenit eſſet incipiendũ à remotione ipſius, quia ipſa magis vrgeret, ſupponen do tamen ꝙ tale ſymptoma vt ordinatè procedamus, non adſit à febre, & à putredine incipiemus, poſt de ipſis dicemus ſymptomatibus, Febris ipſa, vt febris eſt de frigidis indicat & humidis, 9. de Ing. 14. Cęterum, quoniam vt dicitur primo ad Glauco. in cap. de ſignis quotid. intermittentium, quũ corpus iſta febre febriẽs, ſit humidum & abundet ſuperfluitatibus humidis & pi tuitoſis quę frigidę ſunt: ideo pauca ſumitur indicatio ab iſta febre, ſed tota ferè cura ſumitur ab ipſa putredi ne, quę huius febris cauſa eſt. Putredo, vt dicit Gale nus 11. de Ing. octauo, fit à prętematurali calore quã do corripit humidum corporis. Arripitur autem, quã do calor naturalis debitam non habet euentationem, denſitas pororum, conſtrictio corporum, humoris abũ dantia, vel eius craſſitudo, & lentitia, quum res iſtę pręter naturam ſint: ideo de ſui remotione indicant, quod cum ſuis ſit contrariis, 11. de Ing. 3. oppoſita au tem denſitati, ſunt rarefacientia, conſtrictioni ſcinden tia, humoris abundantię, euacuantia, craſſitudini reſe cantia, lentori abſtergentia. Si ergo cauſam putredi nis auferre volumus, his vti debemus: eſt ergo inten tio principalis auferendi iſtam obſtructionem: aufer tur autem obſtructio, dicit Gal. 11. de Ing. 11. curando

vt

vt quod est obstructum deobstruatur, & propulsando, quod est facturum obstructionem, quod fit compescen do humorem obstruentem, & sic quod fuit vltimum in intentione, est primum in opere, scilicet humorũ ablatio. Alioquin non solum non iuuaremus, sed maiorem faceremus obstructionem. Cęterum quoniam humores non debent educi, quin sint resecati, & apertæ viæ, secundo Apho. 9. & in lib. quos & quando purg. oportet. Ideo primo sunt resecandi humores, & abstergendi, sic ꝙ viæ etiam aperiantur, 11. de Ing. decimo, post modum euacuandi sunt per vomitum, per vrinam, per sudores, euacuatis humoribus auferēda est obstructio, & sic euentatur calor naturalis, & tollitur putrefactio & demum febris. Sic igitur febris quę erat prima in intentione, erit vltima in remotione. Primo ergo vtemur incidentibus & aperientibus & abstergentibus, & si aliqui sint humores, qui sint in viis, qui adduci possũt educemus: post apertis viis, & resecatis humoribus materiam aliquam euacuabimus, educta materia, poros aperiemus, & obstructionem auferemus, sic curabimus vt calor naturalis euentetur: quare primum putrefactio, demum ipsa febris aufertur, & quoniam vt dicit Gal. 11. de Ing. 11. est semper curandum vt virtus stet valida, ideo post ordinabimus regimen in sex rebus nõ naturalibus. Vltimo quoniam sæpe hanc febrem sequuntur multa symptomata, non parui facienda, quomodo corrigi debeãt, dicemus: quum igitur humorum qui peccant in nobis, quidam multitudine, quidam alia malignitate peccant, & sic eorum qui multitudine, vel malignitate peccant quidam sunt corrigibiles, quidam vero non: qui corrigibiles sunt si est possibile, ad benignum reduci debent, & hoc fit quando taliter reducuntur, quod nutrire possunt: qui autē incorrigibiles sunt

educi debent, lib. de constit. art. 19. & quoniam phlegmata, quæ in stomacho generantur, vt in de cholera nigra cap. 8. in sanguinem conuertuntur in hepate, & sic nutriunt: ideo in ista febre, quoniam aliqui etiam possunt esse humores qui peccant multitudine, ideo si corriguntur in bonum conuertuntur nutrimentum. Ideo Doctores iubent vt primis tribus diebus, vtẽdo tenuissima dięta, videamus, medicamẽta nõ exhibẽdo, an humores ad benignũ reduci possunt, sic ꝙ ægritudo tollatur. Quãdo ergo dicit Auic. nõ scimus præcisum statũ possumus primis tribus diebus nihil dare, & videre an ęgritudo sola dięta possit curari. Vnde Gal. nõ dat oxymelitẽ, & prouocãtia vrinã, nisi post tres dies, 1. ad Glau. de cura quotid. intermit. Poterimus ergo, iudicio meo, sic procedere primo, quoniã multa sunt phlegmata in vẽtriculo, vti clysteribus, vt inde diuertatur faciẽdo, & in eorũ decoctione addẽdo cartamũ: in potu quoq; dabimus aquã mellis cũ hyssopo, sicut faciebat Gal. 12. de Ing. 3. sic enim parũ dabimus, vt si erũt materię aliquę abstergendę, & educẽdę educatur, tũc etiã poterimus vti frictionibus, sicuti faciebat Gale. 12. de Ing. tertio, vt quę sunt in partibus cutaneis resoluantur, & digestio confortetur, non propter educendam eam materiam, quę est in venis, vel in stomacho, quia ratione earum non cõuenirent frictiones in principio: frictiones autem debent fieri incipiendo à partibus inferioribus, ad partes superiores cum panno aspero, vt caro calefiat, & satis longę, ꝙ si videatur sequi lassitudo, possumus inungere oleo aliqualiter rarefaciente, vtebatur Gale. oleo sabino, possumus vti oleo in quo fuerit decoctum anethum in duplici vase: aliter enim resoluitur virtus rei decoctę, octauo de Ing. 5. vel oleo chamomelino, post inunctiones oportet eas deter-

ter-

tergere, & iterum fricare, incipiendo deorſum, aſcen dendo, & demum ipſam fricando, ſic enim etiã diuertitur materia quæ poſſet facere ſyncopim. In hoc tẽpore, ſi virtus ſit fortis, & videamus multam materiam in ſtomacho, in inteſtinis, in meſeraicis, quæ per clyſteres educi non poſsit, poſſumus vti lenitiuo, puta dã do vnc. 1. caſsiæ cribellatæ. Sed quoniam materiæ ſunt rebelles, & ſic facilè educi non poſſunt, poſſumus addere ſtimulũ puta drag. 1.5. elect. indi maioris, vel drag. 1. Agarici trociſchati quòd ſi natura tentet vomitum, quoniam, vt dicit Gal. quarto de cura quotidianæ intermittentis, vomitus maxime conuenit in hac febre, debemus ipſum non impedire, imò iuuare dando leuia vomitiua ſicut cũ aqua hordei calida miſcendo vnc. 1. ſyrupi acetoſi vel aceti, vel ponendo digitũ in gulam, vel tingendo pennam in oleo, & imponendo in gulam, his factis, ſi virtus ſit fortis quoniam in omni putrida, vbi materia eſt multa debet alleuiari cũ phlobotomia 11. de ing. 14. Ideo poterimus mittere ſanguinem, non tamen in multa quantitate, vt relinquatur ſanguis pro digeſtione aliorum peccantium humorum, poterimus mittere vnc. 6. vel magis, vel minus ſecundum conditiones, de quibus iam eſt dictum. His peractis, quoniam eſt intentio de apertione viarum, & reſectione aliorum reſtantium humorũ. Ideo ad digeſtiua procedendum, & ad prouocantia vrinam, ſicuti dabat Gal. oximel, primo ad Glauc. de cura quottidianæ intermittentis. Conuenit etiam mel roſatum, ſicuti dicit Auic. & ſyrupus acetoſus, & aqua endiuiæ, & apii, vnde tunc poterimus ſic dare ſyrupum, recipe oxymelitis ſimp. vel ſyrupi acetoſi. vnc. 1. mellis roſati collati vnc. 5. Aquarum endiuiæ, & apii ana vnc. 1. & ſemp. miſce pro ſyrupo, ſic enim digerimus humores,

res, & prouocabimus ſudorem, & vrinam vſque ad ſeptimam, & conſonum erit, quòd tunc tranſactum ſit principium. Quod apparebit, ſi apparebunt ſigna, manifeſtæ digeſtionis, verũ eſt vt dicit Gal. in de quatuor temporibus paroxyſmorum, quòd iſtę febres habent etiam tempus inæqualitatis inter principium & augumentum: tranſacta ergo ſeptima, eſt habenda dicit Auic. cura de ſtomacho, quia vt plurimum qui febriunt hac febre, habent læſionem ſtomachi, & tunc poterimus intus dare aliqua ſtomachum confortantia vt miuam cotoncorum, vel ſyrupum de mentha, vel facere maſticationem ex maſtiche, mentha, & aniſo: hoc etiam in tempore incipient vti fortibus digeſtiuis, & tunc poterimus facere decoctionem ex foliis apii, fœniculi, ex capillis veneris, cum radicibus ſquinanthi, dicit Auic. & vt Gal. primo ad Glau. de cura quotidianæ puræ. In hac cura debemus vti efficaciter incidentibus, poterimus addere pulegiũ, origanum, calamentum, hyſſopum, ana man. 1. in ſufficienti quantitate aquę, & facere decoctionem vſq; ad conſumptionem tertiæ partis, & poſt facere colaturam, & de ea aqua dare vnc. 6. calida, cum pauco zuccharo. Poſſumus quoque dare in forma ſyrupi acetoſi, vel oxymel. ſimp. ponendo ſyrupum de duabus radicibus, puta, Rad. ſyrupi de duabus radicibus vnc. 1. mellis roſati vnc. 5. Aquarum Apii, fœniculi, Abſinthii propter ſtomachũ, vnc. 1. miſce pro ſyrupo. ſic ſemper fortificando digeſtiua, procedemus vſque ad ſtatum. Apparentibus autem ſignis manifeſtæ digeſtionis, ſi æger ſit promptus ad vomitum, maxime ſi eam viam tentet natura, poterimus vti vomitiuis, & facere vt vomat, cum debili vomitiuo ſi eſt posſibile vt cum aqua hordei calida, cum vnc. 1. ſyrupi acetoſi, poſſumus poſt deuenire ad fortiora

tiora

tiora vomitiua. Debemus ergo vt dicit Gal. ad Glauc. in hac cura, primo vti cibis incidentibus, post radicibus, & post cibum, prouocare vomitum, vt post cibũ dando infusionem raphani, & similia: vomitiua enim conferunt in hac cura. Poterimus quoque sic facere vomitiuum, Recipe seminis anethi vnc. 2. radicum raphani vnc. 3. bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & de ea bibat vnc. 4. tepida. possumus quoq; addere paucum olei communis, sic quoque procedẽte ægritudine versus statum, poterimus vti fortioribus clysteribus, addendo vnc. 5. hieræ simp. vel benedictæ drach. 3. diaphiniconis drach. 2. in decoctione ponendo turbith, vel hyssopum vel cartamum. Quod si etiam videtur materia multa, & appareat manifeste digesta, tunc etiam leui pharmaco licet vti, vt drag. 1. Agarici trocischati, drag. 1. Rhabarbari, drag. 6. cassiæ, verum si est possibile, melius est expectare completam digestionem. Quando autem versus statum procedimus, factis iam istis euacuationibus dicit Galen. primo ad Glauc. in hac cura est habenda cura de ventriculo, præsertim de eius ore, & quoniam vt dicit Galen. 11. de ing. 15. emplastra, cataplasmata, iunctiones, & similia localia, in principio non sunt applicãda, aliter materia trahitur ad locum, & fiunt apostemata, ea tamen digesta, & in parte educta hæc possunt applicari. His autem factis poterimus inungere stomachum cum oleo Nardino, vel de mastice, pariter possumus facere emplastra, & applicare extra quæ calefaciunt, & resoluunt, si febris sit nõ intẽsa. Cõpleta aũt digestione possumus dare Theriacã, vel Mithridationẽ si in proposito reperiuntur. Quãtitas aũt theriacæ debet esse sicuti vna auellana, vel faba agrestis, dicit Ga. & dabimus ad plus drag. 1. per horas duas ãte accessionẽ, sicuti dicit

Gal.

Gal. in lib. de Theriaca ad Pisone, de quartana. In hoc tempore si non euacuat perfecte, vel per vomitum, vel per secessum, vel per sudorem, vel per vrinā sic quòd sequatur declinando, & tollatur febris, nihil est quòd, quo ad hoc, facere debeat medicus, dando solutiuum, puta drag. 1. & sem. Agarici trociscati drag. 1. Rhab. infundendo in aqua cichoreæ, addendo parum vini albi drag. 1. spicæ, & post 12. horas, faciendo leuem decoctionem, & fortem expressionem & colaturam, in qua dissoluendæ sunt drag. 6. casſię cribellatę an drag. 2. elect. indi maioris, ponendo in fundo vasis vnc. 1. iuleb rosati, & seruando omnes regulas, de quibus supra. educta autem materia his ingeniis, restat vt curemus, ne alia materia putrescat, & hoc fit vt dicit Gal. 11. de ing. 18. faciēdo vt æger faciat debita exercitia, quòd si ipsa facere non possit, supplebimus cum aliis vt dictum est, & confortabimus membra principalia, vt calor putredinalis in totum auferatur & naturalis recuperetur, & confortetur. Hæc quantum ad indicationem sumptam de remouendis causis putridis, cum medicinalibus, & de hac cura multa diximus sumpta à Gal. 11. de ing. dum curat synocham cum putredine, quoniā vt melius explicaremus in cura synochi cum putredine, processimus sic fecit in actu practico ipse, nono de ing. & quoniam habemus pauca à Gal. de cura huius febris, illa quæ dicit ipse de synocha cum putredine possunt vt plurimum applicari aliis putridis, id circo quæ ipse in synocha cum putredine dixit hinc febri applicuimus, pariter cum ista febris ab eadem causa fiat, à qua syncopalis humorosa, ideo multa, quæ de ea dicit Gal. 12. de ing. hic retulimus. Restat modo vt sex rerum non naturalium regimen perscribamus. Aer primo non debet alterari versus frigidum & humi

midum, quoniam complexio ipsa frigida est, & humida. & febris non est multum intensa, & quoniam intentio est resoluendi, ratione causæ melius est vt declinet versus calidum, & siccum, quàm contra. Nam si est possibile, debet esse temperatus. Cibi dicit Auic. non debent esse pulli, vel panis, nisi sit dubium de virtutis imbecillitate, quoniam tunc concedi possunt oua, & contusum. Possumus ergo sic procedere, in primis diebus quoniam sunt phlegmata, quæ forsan per inædiā corrigi possunt, vti tenui diæta, vt dando tantum panatam, vel vt dixi de mente Gal. 12. de ing. tertio aquam mellis cum hyssopo, vel ptisanam cum modico piperis, transactis autem primis diebus saltem septima, vidēdo quòd ęgritudo est multum duratura, poterimus dare carnes paruorum animalium, & pullorū, & oua sorbilia: debent autem dicit Gale. primo ad Glauc. in hac cura omnes cibi esse incisiui, vnde possumus condere ferculum cum mentha, cum apio, cum fœniculo, cum rebus salsis, & similibus, debemus autem post primos dies ingrossare, & semper post attenuare, versus statum procedendo, & seruare omnes regulas, de quibus in de cura tertianæ puræ, hora autem cibandi est post tempus infebricitationis, saltem per quatuor horas ante principium paroxysmi. Quòd si non sit tantū tempus debemus videre an peior sit status, vel principium, & cibare in hora meliori 11. de ing. vltimo, in ista febre quia semper peius est principium, est melius cibare in fine status. Potus autem vini apparentibus signis manifestæ digestionis, concedi potest debilis, & aquosus, post procedente digestione, dari potest fortis. Potus aquæ frigidæ non conuenit, potest coqui addendo res incidentes, & subtiliantes, vt radicē apii, vel fœniculi, & quoniam hic non est intensa febris, vel

sitis

ſitis purum debemus dare. Somnus, & vigilia dicit Gale. 12. de ing. tertio conueniunt, ſomnis enim concoquit, vigiliæ digerunt, & iſtis intentionibus indigemus in hac cura. Motus quoque, & quies conuenit, quies ratione digeſtionis, motus ratione reſolutionis, & ideo in tempore debito debet vti debito exercitio, quod ſi ipſum facere non poteſt, ſupple cum frictionibus, vt dixi: debet autem pati inædiam, quoniam multum confert, vt dicitur 12. de ing. tertio. Iſta corpora patiuntur longum ieiunium, & ſic curare debemus, vt omnia ſuperflua excernantur ſicuti ſupra dictum eſt. Accidentia animi tamen cōueniunt quæ calfaciunt, vnde ét ꝙ æger aliqualiter iraſcatur non multum refert, quia tamen quum accidentia excedant, virtutem proſternunt, ideo debemus curare, vt ea euitet æger. Veniamus modo ad correctionem accidentium, quæ iſtā febrem ſequitur, quoniam iſta febris multum durat, & materiæ crudæ, & frigidæ membra principalia debilitant, nam ſæpe in iſta febre ſequitur debilitatio ſtomachi, præcipue oris eius, vnde eius maximam habere curam debemus, ſicuti dicit Galen. primo ad Glauc. de cura quotidianæ intermittentis, maxime quando propinquatur ſtatus, tunc ergo quia factæ ſunt plures euacuationes, & corpus non eſt plenum, per interius, & exterius poterimus confortare ſtomachum, puta cum oleo chamomelino, vel de mentha, vel de maſtice, vel ex illis faciendo emplaſtra, per intus poterimus vt dixi dare ſyrupum de mentha, & exhibere quæ confortant digeſtionem, vt cinamomum, piper, & poterimus condire fercula cum iſtis ſpeciebus, & cum mentha, & applicare extra abſinthium, & mentham, ſecundum artem. Sequitur quoque aliquando hepatis debilitas, poterimus quoque in declinatione poſt omnes
eua-

euacuationes confortare cum ſpeciebus triaſandalorum, diarhodon Abbatis, Aromatici roſati cariophillati, faciendo ex iſtis cum zuccharo morſellos, & dando omni die ante cibum, poſt dando vnc. 3. aquæ boraginis, bugloſæ. poterimus dare zuccharum roſatum, ſicuti etiam poterimus fomentare alia membra, ſi ea videamus debilitata. Vomitus in iſta febre multum confert, vt dixi. Vnde ſi non excedat, impediri non debet, ꝙ ſi excedat, debemus confortare ſtomachum cum eis, quæ nunc diximus: & tunc poterimus etiam eo perſeuerante, facere frictiones, trahendo deorſum, ligare extrema cum ligaturis doloroſis, maxime pedes, & ipſa calefacere: ſequitur quoque aliquando ſuperfluus fluxus ventris propter membra, quæ debilitata ſunt, & tunc dicit Galen. 12. de ing. tertio oportet plus decoquere mulſam, ꝙ ſi plus durat loco mulſæ eſt dandus cremor ptiſanæ, quod ſi etiam perſeuerat, nutriet cum ſorbitione halicæ, oportet poſt videre defectu cuius ſit fluxus & confortare membrum mandans, & vti clyſteribus, & aliis quæ adducunt doctores in cura fluxus, In iſtis quoque febribus, aliquando eſt dolor capitis, & tunc ſi nimiũ infeſtat debemus, vti fortibus frictionibus trahendo deorſum, ligare extrema, quod ſi perſeuerat, oportet applicare cucurbitulas ſiccas ſpatulis, & ponere extrema in aqua calida, & eo adhuc perſeuerante, dicit Auicen. maxime ſi factæ ſint euacuationes, oportet embrochare caput cum aqua camomeli, & cum talibus reſoluentibus. Aliquando quoque in harum febrium principio eſt frigus maximum maxime quando eſt à phlegmate vitreo, & tunc oportet ante paroxyſmum per duas horas vti bonis frictionibus, & dare in potu aquam calidã, & poſſumus inungere corpus cũ oleo de coſto poſt frictio-

nes.

nes,& post abstergere quia aliter faceret,opilationes. Quod si sit prostratio appetitus, oportet confortare stomachum cum eis, quæ dicta sunt, & dare cibos qui placeant ægro,etiam ꝙ aliqualiter sic ęgro non cōueniant, debemus dare capones, oliuas conditas, pisces salitos & similia quæ appetitum incitant, sed in pauca quantitate. Quòd si sequitur oppilatio debemus vti appetitiuis,si cachexia & inflatio eis, quæ adducunt Doctores in propriis curis,& hæc dicta sufficiant.

De Quotidiana continua, quæ dicitur Latica.

Febris Quotidiana continua,quæ dicitur Latica ex phlegmate fit intra venas putrescente,secundo de Crisib.6. quæ ea habet signa, quæ intermittens, nec cum rigore incipit secundo de Crisib.6. & 12. & est similis hecticę.dicit Auic.prima quarti tract.2.cap.5. Quantum ad curam non differt,ait Auicē. nisi quòd ista non requirit res adeo subtiliātes sicuti interpollata,& ideo cibi primo debent esse minus calidi, & in minori quantitate,quoniam ægritudo erit breuior,pariter & rebus aliis non naturalibus debemus vti,sic ꝙ resoluant, sed minus quàm in intermittente, non dabimus cum potu hyssopum vel fœniculum,sicuti in intermittente,digestiua quoque non debent esse adeo fortia, ideo sufficit facere syrupum sic: Recipe syrupi acetosi, vel oxymel simp.vnc.1.mellis rosati vnc.5. aquarum fœniculi,& apii,vel radicum eorum ana vnc.1. & sem. & sic cum istis syrupis debemus digerere: clysteria quoque sufficiunt communia. Conueniunt lenitiua sicuti in intermittente,ac demum solutiua. Crederem quoque, quum ęgro ista magis referat,quàm intermittens, quū materia sit intra venas,ꝙ audacius & in maiori quanti

tate

tare deberemus mittere sanguinem, modo virtus debilis, vel ętas non patiatur, vel alię conditiones simul non impediant, in reliquis nulla est differentia, nisi secundum magis & minus: ideo quę dicta sunt in intermittente, hic etiam applicentur. De syncopi, quę sequitur in cura syncopalis humorosę dicemus.

De cura Epiale, & Liparię.

Diuerso modo sumit hos terminos Gale. & Auicē. Galenus enim secundo de diff. feb. 6. & in lib. de inęquali intemperię cap. 2. de istis loquitur, & in summa videtur velle, quòd istę febres fiant maxime à phlegmate, quod Praxagoras vitreum appellat, quando pro parte putrescit, & pro parte non putridum mouetur, & hinc per totam accessionem pars putrefacta facit, vt sentiatur calor, pars non putrefacta facit, & frigus, & horrorem, quod si hoc fiat in partibus paruis alicuius partis sic, quod sensu non possimus discernere, quę sit pars, in qua fit calor, & in qua est frigus, tunc dicitur Epiala, sic quando simul ponimus mel & absynthium in lingua, & non possumus discernere subitum dulcedinis, à subito amaritudinis, sicut dicit Gale. tertio de simpl. 15. quòd si partes sint diuersę, sic quòd pręcisa cognoscemus, vbi est caliditas, & vbi est frigiditas, sic dicitur Liparia, vt si interiora calescant, & exteriora frigescant, vel manus calescat & pes frigescat, vt patet in lib. de inęquali intemperie cap. 2. & oportet ꝙ in istis febribus per totam accessionem duret rigor, & calor: aliter cholerica diceretur, etiam de tertio genere, dicit Gal. ibi, est ergo secundum Gal. febris Epiala, quando in vnaquaq; corporis parte sentitur calor, & frigus per totam accessionem, sic quòd sensus non po-

test discernere in qua parte substantiuè sit frigus, & in qua sit calor: quum tamen hoc in veritate debent esse in diuersis substantiis, quia duo contraria esse non possunt in eodem subiecto præcise: Liparia autem est quã do discernimus subiectum caloris à subiecto algoris, & sunt istæ febres pręcipue à phlegmate vitreo, pro parte non putrescente, sed moto per membra sensitiua & faciẽtem rigorem, qui fit tempore nostro, licet hoc non viderint antiqui, qui vtebantur moderato regimine, sicuti ibi, & secundo de diff. feb. refert Gal. Secundum Auicen. vero fit Epiala, quando est phlegma vitreum in partibus interioribus, & eius pars incipit putrescere, alia non putrida, modo ratione partis putrescentis eleuatur vapor ad cor, & fit febris; & post modum descendunt ad partes exteriores, & illas calefaciunt: illa autem quæ non putrescit, & frigida est, modo occurrit aliis partibus, & eas sic refrigerat. Quare interiora apparent frigida, exteriora calida: Liparia vero fit ex phlegmate, vel ex cholera grossa, quando putrescunt in partibus interioribus, sic quòd faciunt febrem, & propter eorum vaporem interiora redduntur calida, sed illi vapores non possunt partes exteriores calefacere, maxime quãdo in illis partibus sunt phlegmata, quæ ipsas infrigidant, & prohibent vapores calidos penetrare, pariter si eleuanter vapores frigidi a phlegmate vitreo, non putrescente, & illi calidi non sunt pauci, tunc frigidi extenduntur ad partes interiores, calescunt, & exteriores frigescunt, nec est necessarium, quòd in ista febre extẽdatur caliditas per totum corpus, quoniam illud dictũ est in definitione febris, quòd calor debet extendi per totum corpus, debet intelligi, modo nihil impediat. Sed hic vt dicit Auic. sunt illa phlegmata vitrea in partibus exterioribus,

quæ

quæ impediuntur, vel illi vapores illorum phlegmatum, qui sunt frigidi qui extinguunt calidos, & ideo in hac febre non expanduntur per totum corpus. Post Auic. ponit aliam febris speciem, quando in vnoquoque locorum est caliditas, & frigiditas, & ista est quã Gal. appellat epialam. Sed epiala, & liparia Auicen. apud Gal. sunt lipariæ, est ergo tantum differentia in assumptione terminorum, satis tamen est quòd istæ febres, vt plurimum fiunt à phlegmate vitreo, & quòd in eis per totam accessionem durant calor, & frigiditas. Verum est quòd epiala apud Galen. differt à liparia, quoniam caliditas, & frigiditas in ipsa sunt in partibus adeo proximis, vt sensus eas distinguere nequeat: in liparia vero calor sentitur separatus à frigiditate, & sunt in diuersis partibus. Epiala vero secundum Auicen. differt à liparia, quoniam in ea interiora sunt frigida, & exteriora calida, & ideo in ipsa sunt fortiora signa frigiditatis, vnde in ea vt dicit Auic. est vrina cruda frigida, & pulsus rarus & tardus, & vt plurimum aduenit omni die, & aliquando conuertitur in quartanam & tertianam, eius paroxysmus durat à quatuor horis vsque ad xxiiii. In febre vero liparia interiora calescunt, & exteriora frigescunt, vnde non apparent signa adeo frigida ratione operationum membrorum interiorum, & ista durat plusquam hemitriteus, dicit hic Auic. & hoc videtur etiam dicere Galen. primo. Aphoris. xii. & per typhoidem intelligit istam lipariam Auic. Cura harum febrium non differt à cura aliarum phlegmaticarum, excepto quòd quum sint à phlegmate vitreo, quod est intensissime frigidũ, vt dicit Galen. lib. secundo, cap. 26. quòd indigemus fortioribus calefacientibus, ideo digestiua debent esse fortiora, pariter clysteria, item solutiua debent maxi-

me respicere phlegma vitreum, & dari in maiori dosi, & fortiora, quia est materia difficilis eductionis. Quã tum ad alia omnia conuenit cum aliis, ideo eadem remedia eodem modo quæ fuerunt adducta in cura quotidianæ intermittentis, hic sunt applicanda, & est habenda cura membrorum sicuti in ea diximus, semper tamen calidiora debent dari, vnde Paulus laudat diacalamenthum, & confectionem diatrion pipereon. quum ergo quæ conueniunt dicta sint, hæc pro cura sufficiant.

De syncopali humorosa & ipsius curatione.

Syncopalis humorosa, fit ex humoribus multis phlegmaticis crudis qui opprimunt os stomachi. 12. de ingen. tertio sic quòd sequitur syncopis primo ad Glanc. de cura continuæ cum accid. sua multitudine, vel quando incepit putrescere, & mouetur, tunc eleuã tur vapores frigidi ad cor. qui faciunt syncopim dicit Auic. prima quarti tract. secundo cap. 55. & hoc maxime fit in principiis accessionum primo ad Glauc. de cura continuæ cum accid. eius signa sunt dicit Gal. xi. de ing. tertio præcordia inflata, & totus corpus inflatum magis quàm ægri naturalis dispositio exigat, color albidus, similis colori laborantium aqua inter cutem, nonnullis niger aut liuidus, scilicet plumbeus, pulsus obscurus & inæqualis semper, secundum se totum, aliquando etiam in systole. Paroxysmus eius est sicut quotidianę dicit Auic. cap. proprio oculi sunt virides, accidit nocte vel vesperi 12. de ing. quinto, ea enim est hora phlegmatis sexto epid. particula prima tract. 13. verum est, q̃ ea quæ est in vespere est peior, quia phlegma anticipat horam suam, & sic arguit maiorem multitudinem

titudinem huius febris. Cura quidem est difficilis, quoniam virtus est debilis, & euacuationes quæ essent necessariæ, non suffert, hinc si educitur materia, virtus prosternitur, pariter si materia restat, virtutem prosternit: est ergo difficile eam curare, in eius tamen cura sic est procedendum, quãdo incipienda est cura, vel æger habet phlegmonem, vel aliquod aliud apostema in interioribus, vel non: si habet, iam est desperata salus, dicit Gal. 12. de ing. tertio. vnde oportet mortem prædicere ad euitandam ignominiam, & non est vtendum aliquo genere medicamentorum: pariter si humores sint crudi & putrefacti, & coqui nõ possunt, eorum salus est desperata: si vero nec phlegmone sit, nec humores de eo putridi sint, tunc est spes salutis, & tunc potest curam adire medicus, & quando adit, vel est tempus syncopis, vel non, si est tempus syncopis, quoniam magis vrget quàm febris, ideo ei est attendendum, principalis ergo intentio tunc est releuare virtutem oppressam, nihil autem est, quod magis & citius hoc faciat, quàm vinũ, secundo Aphor. xi. Ideo subito est dandus panis infusus in vino, xii. de ing. tertio. Vinum autem debet esse calidum natura, quod decoctionem in corpus promouet, & sic debet esse colore fuluũ, substantia tenue, ætate vetus, & boni odoris xii. de ing. quarto, si in tempore, regione, & statu cœli calidis promixtum sit cum aqua frigida, si vero frigidis, cum aqua calida, & post cum calida est perseuerandum. xii. de ing. tertio quòd si non sit syncope, videndum an succi crudi sint multi, & crassi, sic ꝙ exiguos animalis meatus obstruant, tunc illi succi nisi concoquantur, nutrire non possunt, sed virtutem grauant, & in syncopin deducunt, & sæpe homines opprimunt. Quod si non tantum grauant, quòd obstruãt,

nec onerent, sic syncopin non faciunt, sed tamen lipothymiam. 12. de ing. quinto, considerandum quoq; est an virtus in se sit fortis, vel debilis, vt fortioribus vel leuioribus vti possimus medicamentis, virtute ergo existente debili, & succis existentibus multis, tunc non est possibile mittere sanguinem, nec dare pharmacum. Ideo Galen. 12. de ing. tertio, iubet, vt tantum persistamus in frictionibus cum panno aspero, incipiendũ à partibus inferioribus ascendendo, & post si sit periculum lassitudinis, inunguendo sicuti in cura quotidianæ intermittentis, diximus. In hac ergo dispositione non vult Galen. quòd aliud faciamus, & quoniam talia corpora possunt pati inediam multam, & illi succi possunt cõcoqui, & post nutrire, ideo per primos tres dies iubet Gale. quòd demus aquam mellis cum hyssopo vt iuuetur concoctio, & abstergantur materiæ multæ, & educantur virtute hyssopi, quòd si mulsa fastidiat dat succum ptisanæ vel oxymelitem, vel modo hoc, modo illud, & perseuerante constantia virtutis si est possibile vltra tres dies vtatur eadem inedia vsq; ad septimam. Sic etiam nos secundum maiorem, vel minorem constantiam virtutis cibabimus, tantum dãdo, quantum virtus potest durare, & si dubitamus de virtutis constantia, dabimus panatellam, vel ferculum ex farre semper iniungendo secum res calefacientes, & incidentes, quòd si virtus non sit adeo debilis, faciendo frictiones, etiam dicit Galen. xii. de ing. tertio vtimur clysteribus, quòd si etiam videbimus maiorem virtutis constantiam, quoniam materiæ, quæ peccant, sunt vt plurimum in stomacho, & in venis meseraicis, à quibus non potest educere clyster, crederem quòd tunc possemus dare vnciam vnam cassiæ, vel vnc. 2. mannæ, quia in veritate, non multum agitant, & forsan

ſan ſi eas cognouiſſet Gal.dediſſet. Crederem quidẽ, quòd iſtis crudis nullo modo eſſet fienda phlobotomia, licet ſecus dicat Alex.lib.ſexto cap. proprio, his rebus in principio peractis, poterimus dare oxymel æſtate frigidum, hieme calidum,& ſic cum tenui diæta,cum clyſteribus,cum digeſtiuis poterimus procedere vſque ad ſeptimam,in primis tribus diebus non dando cibum, nec ſorbitionem,nec aquam,nec permittendo,vt æger multum bibat.Poſt autem vt credo,quando dubitamus de virtute, eſt ordinanda groſsior diæta,etiam poſt ſemper attenuando, ſic quòd in ſtatu ẽt tenui dieta vti poſsimus & virtus poſsit durare,ſic procedendo dicit Gal. debemus euitare aerem, vel nimis calidum,vel nimis frigidum,ſed ſit temperatus, vel in æſtate declinans ad frigidum,. in hyeme ad calidum, quod poterit fieri artificialiter, puta in æſtate ſternendo cameram cum frigidis, in hyeme accendendo ignẽ in camera,balneum quoque prorſus non cõuenit,procedente quoque ægritudine, iam factis dictis euacuationibus poterimus applicare calefacientia, maxime ſi non ſit multum intenſa febris, vt inunguendo cum oleis calidis, vel temperatis,vt cum oleo chamæmelino, debemus tamen ſemper, dicit Galen. primo ad Glauc.de cura continuæ cum accid.concoquere abſynthium,& confortantia ſtomachum,quoniam eſt habẽda maxima cura de ſtomacho: victus autem,vt dixi,ſit in principio tenuis, & debemns dare quæ habent vim incidendi, vnde Galen. primo ad Glauc. ibi dat piper diatrion pipereon, & diaſpoliticon. Nos autem dando aquam mellis aduertamus, ſi ſit nimis fluxus ventris quare tunc magis decoquemus mulſam, vel dabimus ptiſanæ cremorem,vel ſorbitionem ex halica, ſic poterimus iungere cibum, ſecundum quod apparebit

necesſitas pro ſuſtinenda virtute. Somnus, & vigilia ambo conueniunt moderate, tertio, de ing. tertio, quieſcant, quoniam agitatio membrorum, dicit Auic. facit ad ſyncopim. Vtemur tamen frictionibus, vt dictum eſt, & ſic eſt curandum, vt ſaltem excrementa tertiæ digeſtionis excernantur. Accidentia autem animi conueniunt, quæ calefaciunt, ſed non immoderata, ne virtutem proſternant. hæc omnia ſunt facienda quando eſt timor ſyncopis, ſecundum Galen. 12. de ing. tertio, & quarto, & primo ad Glauc. de cura continuæ cum accid. quod ſi non ſit materia tanta, vt timeamus ſyncopim, ſed tantum lipotymiam, & virtus ſit fortior, tunc dicit Galen. 12. de ing. quinto, quòd iſtos magis cibare debemus vnde iis dat vinum poſt cibum maxime ſi ſint ſenes, quod non fecit in capit. 3. quando eſt dubium ſyncopis, nec in primo ad Glauc. Cibi autem debent eſſe tantum calidi, & extenuantes quantum febris poteſt ſufferre, oportet autem euitare eos cibos qui ſint frigidi, & crasſi nutrimenti. Medicamenta etiam iis poſſunt dari, vnde vtimur fortioribus clyſteribus, & audacius lenitiuo in principio, & tandem procedente ægritudine, apparentibus ſignis completæ digeſtionis, in hoc vna eſſem cũ Alexandro vt poſſemus vti medicina ſoluente, & forſan phlobotomia vti in principio. Nec eſſet adeo neceſſarium vti tenui dieta nec tot frictionibus, nec hoc negat Galen. & ſi ſic Alexander intelligit de iſto, forſan non eſt contra Galen. qui primo curat quando eſt periculum ſyncopis ſecundo in cap. 5. in fine quando tamen periculum lipothymiæ, & ſic in principio non dat vinum, ſicuti facit in ſecunda, poteſt etiam venire ſyncopę ex materia bilioſa 12. de ing. tertio, & his conueniunt frigida, ſed hanc curam nunc omitamus.

De

De cura Syncopalis Minutæ.

Syncopalis Minuta, eſt febris, quę fit ex humoribus tenuibus, qui facile exhalant, maxime ſi retentrix ſit debilis, & expulſiua fortis, & pori lati, ſic φ tñ reſoluitur virtus, quòd incidunt in ſyncopin, 12. de ing. ſexto, à ſanguine autem nec ab alio humore fieri non poteſt per ſe, ſed ex cholera, ſicut colligere poſſumus primo prognoſt. 10. & 11. Addit etiam Auicen. quòd fit ex materia ventoſa, eſt autẽ febris continua, quia aliter non eſſet exitioſa, aduenit autem in ætate, complexione, regimine. calidis, & ſiccis, ſicuti colligere poſſumus 10. de ing. 3. in illo iuuene qui laborabat hac ęgritudine ſicut teſtatur idem Galen. 12. de ing. ſexto, eius ſigna ſunt, ex loco nunc citato, naſus acutus, oculi caui, & alia quæ de facie. Hippocratica dicit Hypp. Primo progno. octauo, nono, & decimo, ſiue multum excernant, ſiue vigilent, ſiue triſtentur, ſiue non cito nutriantur. Si in principio talis facies appareat, huius febris eſt ſignum, verum ſi appareat cum iſtis, eſt minus periculum 12. de ing. ſexto, ſicut etiã dicit Hypp. primo progno. Quòd ſi appareat ſine iſtis, eſt maius periculum, quia tunc eſt ſignum, quod eſt tantum ex malignitate materiæ. Aduenit autem ſyncopis in iſta in tempore maioris reſolutionis, & ideo in ſtatu, & in hoc differt à ſyncopali humoroſa. Huius febris cura eſt etiam multum periculoſa, & quum oppoſita ſit ad humoralem, oppoſita quoque exigit remedia, ſi ergo in ea virtus ſit debilis, & ſit apoſtema in membris interioribus, iam eſt deſperata ſalus. Quod ſi non ſit apoſtema vel actu eſt ſyncope, vel non, ſi eſt, oportet dare cibum, puta panem infuſum in vino, ſicuti fecit Galen. in illo iuuene 10. de inge. tertio, quod ſi non ſit ſyncope,

ſyncope, eſt videndum an poſſumus curare cauſam, & præuidere, ne ſequatur ſymptomata, & ea erit optima cura, modo non ſit aliud ſymptoma, quod impediat: quum ergo curam addimus, ſi virtus ſit debilis, & ſæpe pariter, ter, vel quater cibabimus, ſed parum pro vice, quòd ſi virtus ſit fortior, tunc rarius cibabimus, ſed & plus dabimus, & tunc forſan licebit vti aliquo lenitiuo, vt dare caſsiam vel mannam. Sic igitur procedendo, omni cura ſtudebimus vti cibis, & medicinis denſantibus corpus, vt applicando corpori olea aſtringentia, dando cibos groſsi nutrimenti, & procedente ægritudine vigorata virtute, ingroſſatis humoribus, denſato corpore, forſan poterimus dare aliquod ſoluens, quod educat materiam cholericam, & confortet membra, vt Rhabarbarum vel Myrabolanos citrinos in ſubſtantia, poſt procedendo cum rebus confortantibus membra, demum poterimus in declinatione vti leuibus frictionibus, quando non eſt amplius timor ſyncopis. Aer autem debet eſſe frigidus, & aſtringẽs, cibi ingroſſantes & qui conueniunt, panis, ſorbitio ex halica, fructus auſteri, qui non facile corrumpãtur, & per ſe, & cum pane, item halica cocta in aqua, poſſumus dare oua, præcipue vitellos, teſticulos gallorum, ſuillum cerebrum aſſatum, non cruentum, in albo iure elixum, & demum conueniunt omnes cibi qui ſunt crasſi nutrimenti, & qui denſant, & exhalationẽ prohibent. Vinum in principio aquoſum, poſt cibum conuenit, & poſt quartam apparentibus ſignis concoctionis, poteſt dari caro pullorum gallineaceorum. Etiam ſomnus conuenit, quia in ipſo nõ fit tanta commotio ſicuti in vigilia. Quies pariter. Ideo debemus euitare nimiam vigiliam, & motum, inanitio quoque non conuenit nec nimia repletio. Accidentia animi,

quæ

quæ resoluunt, ideo euitent. Hæc est cura sincopalis minutę, vt ipsam, à Gal. 10. de ing. tertio, & 12. de ing. sexto colligere potui.

De febre Diurna & Nocturna.

Auicenna vltimo ponit caput de febre diurna, & nocturna, & diurna est quando febris inuadit in vespere, quando citius inuadere non potest, quoniam syncopalis humorosa 12. de ing. 5. quæ ex maiori multitudine quæ fieri possit in phlegmaticis, tantum vel in vespere, vel in nocte adueniat. Dicitur ergo diurna, quæ semper in vespere aduenit, nocturna quæ semper in nocte, est autem differentia inter eas, vt etiam habetur primo epid. quia diurna est peior, & longior. Quum enim phlegma de nocte inuasioné facere debeat, quando facit de die, est signum maioris malitiæ, & maioris multitudinis. Item est mala, quoniam in nocte, quum inuadit in vespere, non potest æger dormire, primo quoniam in primis horis est principium, & augmentum febris, in quo tempore non conuenit somnus, in fine autem est declinatio, & tunc oportet dare cibũ, & non dormire, & ideo sic parum dormiunt, vel si dormiunt, ducunt vitam vespertilionis, dicit Galen. primo epid. quòd tamen de die dormiunt, hinc est periculum, ne ad hecticam producantur & sic febris diurna est multum difficilis. Istæ autem febres vt dicit Auic. non requirunt diuersam curam ab interpollatis. Ideo quæ ibi dicta sunt, hic applicétur, & de febribus phlegmaticis satis.

De

De cura Quartana Periodica.

Quartana pura intermittens ex humore melancholico fit secundo de diff.febr. quinto, putrescente extra venas, transmisso ibidem, & hic humor est naturalis, & præternaturalis tertio Aphor. 22. Naturalis est pars grossior sanguinis quæ eius fex dicitur, & præter naturalis est qui atrabilis appellatur 14. de ing. nono. Fit autem ea, quę est prętérnaturalis, vel ex adustione flaue bilis, vel melancholiæ naturalis, sexto Aph. 59. ex phlegmate vero putrefacto, ac adusto secundū Galen. non fit melancholia, quia semper est album, vt patet de phlegmate gypseo, verum est ꝙ forsan tātum potest indurari quòd faciet quartanam, & sic affliget de quarto in quartum, & hoc voluit Auicen. hic, quando autem iste humor facit quartanam, & semper, est atra bilis, secundo Aph. 22. & secundo, de diff. febr. quinto. Quoniam si fit à melancholia naturali, fit tantum, quando putrescit, secundo de diff. febr. quinto, & quando putrescit, fit atra bilis, quarto Aph. 2. fit quoque ex successione aliarum febrium, tertio Progno. 33. & raro à nocumento splenis absoluitur, primo epid. & quæ absoluitur primo ē salubrior, primo epid. particula tertia, & de se est salubris, & liberat ab epilepsia, quinto Aph. 59. sexto, epid. particula sexta. in fine, ut plurimum autē aduenit in autumno, tertio Aph. 22. Maxime si frigidus sit, & siccus, vel inæqualis secundo, de crisi. quarto. Aduenit quoque in complexione atræ bilis primo ad Glauc. de signis quartanæ maxime si transit ætatem consistentiæ quando est vsus cibis, & regimine facientibus atram bilem, & quando atra bilis abundat, secundo de diff. febr. quinto, pariter si locus, talium febrium sit productiuus, & tunc com-

communiter vagentur, vel febres inordinatæ præcesserint primo, ad Glauc. de signis quartanæ, & sequitur nocumentum hepatis, vel lienis secundo de Crisi. quarto, huius febris signa sunt pulsus tardi, & in principio, secundò de Crisi. primo, ad Glauc. de signis quartanę, post fiunt veloces & frequentes, vrinæ tenues, albæ, & aquosæ, in principio secundo de Crisi. quarto, calor paulatim accenditur, & increscit sicut ignis accensus in rebus frigidis, & siccis, secundo de diff. febr. quinto, non aliquod fumidum relinquit, longiores habet cessationes, vnde non afligit, nisi de quarto in quartũ, ad perfectam terminatur infebricitationem. Rigorẽ similem habet eis, qui maxime frigescunt, secundo de diff. febr. quinto, non tamen multum magnum secundo de Crisi. nono, spatium accessionis est simile spacio accessionis tertianæ, aliquando etiam longius, secundo de diff. febr. quinto, Gal. vt dixi, vult quòd quartana fit tantum ab atra bile, quæ tamen potest fieri, vel ex bile putrescente, vel ex melãcholia, vnde nõ variatur hæc cura ratione diuersitatis materiæ, nisi secundũ magis, vel minus, licet secus velit Auicen. procedendo ergo in ista febre ad mentem Galen. pauca sumitur indicatio à febre, sed omnis ferè ab eius causa, causa autem huius febris est humor frigidus, & siccus, & grossus, ideo si ipsum auferre, & educere volumus, sicuti est necessarium oportet euacuare, sed prius incidere, & quoniam viæ non sunt apertæ, oportet eas aperire: est ergo intentio principalis de incidentibus, aperientibus, & subtiliantibus, & post de educentibus materiam melancholicam. Sed ante, educere oportet, quæ sine viarum apertione, & eorum incisione, vel subtiliatione, educi possunt, hæc autem sunt quæ per phlobotomiam educuntur. In qua non expectamus coctionem

nem 11.de ing.15. oportet ergo, dicit Gale. primo ad Glauc. leuiter tractare, nullum forte medicamentum, aut euacuationes exhibentes. videndum autem est, an sanguinis superabundet, & si superabundet, seruatis regulis iam dictis, est incidenda vena interior, vel media sinistri brachii, quòd si sanguis exeat niger, & crassus, est mittendus satis copiose, quòd si flauus statim est supprimendus, nec educendus. Curandum post est, vt cum rebus solitis in sanitate venter sit lubricus, si hoc non possit fieri, vtendum est clysteri cõmuni, post fortiori, vt ponendo in eo drag. 2. diaphiniconis, vel vnc. 5. diacatholiconis, vel confectionis Hamech, & quoniam lenitiua in principio, vt dictum est, conueniunt, si sint materiæ redundantes in stomacho, vel in meseraicis, tunc ratione ipsarum, etiam in principio possumus dare aliquod lenitiuum, vt dando vnc. 1. cassiæ, & 3. i. confectionis Hamech, dissoluendo cum aqua lactis, quæ licet sit frigida, vt patet, quarto de simp. 16. habet tamen aliquas partes calidas, vt colligitur, tertio de alim. cap. de lacte acetoso, ideo ratione earum deducit melancholiam, sed sine agitatione, quòd si natura tentet vomitum, quoniam multæ materiæ melancholicæ à splene ad stomachum transferuntur, ideo leui vomitiuo debemus iuuare, vt cum aqua hordei tepida, & syrupo acetoso, fortiora autem vomitiua in principio non conueniunt, si æger de se facile vomat, oportet dari vomitiuum ante cibum, quòd si non, post cibum, quoniam cibus iuuat vomitum, maxime si sint cibi valentes in stomacho, his factis in ipso principio restat, vt ad subtiliationem, & incisionẽ alterius materiæ deueniamus, hic est opposita intentio scilicet humectandi, quæ conuenit ratione materiæ siccæ, & febris, & vti rebus siccis, ratione incisionis, apertio-

apertionis, & ſubtiliationis, hæc enim fieri debent cũ rebus ſiccis, imò humida eorum virtutem retundunt, & ſic quum principalis intentio ſit incidendi, aperiendi, & ſubtiliandi, quod habet fieri cum rebus ſiccis, ſic ca magis conueniunt, vnde Galen. primo ad Glauc. in hac cura nõ dicit, quòd debeamus vti humidis, ſed ſubtiliãtibus &c. licet ſecus dicãt omnes moderni. Crederem tamen quòd ſcilicet primo debemus permiſcere humida, ne materia nimium terreſtrificetur. Poterimus ergo facere hæc, & cum decoctionibus, & cum ſyrupis, incipiendo à debilioribus, & mitioribus, primo laudat Auice. mel roſatum, & ſyrupum acetoſum, ideo poterimus ſic formare, recipe ſyrupi acetoſi vnc. 1. Mellis roſati vnc. 5. Aquarum cichoreæ, & lupulorum ana vnc. 1. & ſem. Poterimus cum iſto ſyrupo per aliquot dies procedere, poſt venire ad fortiorem, vt recipe ſyrupi de pomis, vel de epithimo, vel de fumoterræ vnc. 1. ſi aliqualiter etiam ſit intentio educẽdi, oxymel, ſimp. vnc. 5. aquarum tamariſci ſcolopendriæ & fumoterræ vnc. 1. Miſce pro ſyrupo. Poterimus quoque digeſtiuum in forma decoctionis conficere, vt Recipe radicum capparum, polypodii ana vnc. 1. foliorũ tamariſci & ſcolopendriæ ana m. 5. ſeminum anethi, & ameos ana vnc. 1. Paſſularum vnc. 2. decoquantur in ſufficienti quantitate aquæ vſque ad conſumptionẽ medietatis aquæ, & deinde fiat colatura, & accipiat ſummo mane vnc. 6. Cum iſtis igitur digeſtiuis procedendo, ſi non habeat beneficium ventris non deficiemus à clyſteribus, ſemper faciendo eos fortiores, quanto magis ad ſtatum erimus proximi, pariter dabimus cibos, & medicinas, vrinam prouocantes Apparentibus autem ſignis completæ digeſtionis, inciſis humoribus, apertis viis, tunc eſt dandum pharmacum,

quod

quod atram bilem posſit educere,& quoniam ſæpe hu mores qui peccant ſunt difficilis eductionis, ſic quòd vna die educi non poſſunt,ideo dicit Galen.primo ad Glauc.de cura quartanæ, eſt iterandum medicamentum.Galen.ibi dat elleborum album,nos ipſo non vtimur, poſſemus tamen ſecurè vti elleboro nigro, ſic formando medicinam, Recipe radicis ellebori nigri minutim inciſæ drag. 1.infundatur in aqua mellis,decoctionis anethi, & ameos ana drag. 3. florum viol. borag.& nenuph.ana drag.2.maneât in infuſione per diem integrum, & inde fiat leuis ebullitio, & collatura, quæ detur in aurora, poterimus in ea diſſoluere vnc.1.& ſem.mannæ, vel drag. 5.casſiæ, & ſic dare. Medicamentum autem dabimus in vna die infebricitationis,poſt dicit Galen.poterimus dare theriacam puta drag.1.vel Mithridatum,vel diatrion pipereon,vel piper cum aqua quotidie, & ſic confortabimus membra, & iuuabimus digeſtionem poſt cum prouocantibus vrinam,& ſudorem,cum exercitiis debiti curabimus, vt reliqua reſoluantur. Quo vero ad ſex res nō naturales,Aer non ſit frigidus, ſed declinans ad caliditatem,quia ſic abbreuietur quartana,vnde ſecundo. Aph.25.dicit Hyp.æſtiuæ breuiores. Cibi debent eſſe ex rebus optimis,non ex flatuoſis, & tenacibus. Vnde dicit ipſe arcendi ſunt à carnibus porcorum, & ſimilibus, ſi eſt posſibile dicit Auic. ſtet per primas tres hebdomadas ſine carnibus, poſt poſſumus eas dare, poſt tamen quanto magis verſus ſtatum procedemus, plus debemus ſubtiliare, dicit Gale.quòd ſi non poſſit tolerare tantum carnium inediam,& ſi oportet dare carnes ante tres ſeptimanas,dandæ ſunt carnes paruorum animaliū in diebus infebricitationis,dicit Auicen. ſic tollitur quædam contradictio,quæ videtur eſ-

ſe

ſe in eorum dictis, Abſtineant à cibo in die paroxyſmi, vtatur ergo pro carnibus,& pullis gallinaceis,& aliis volatilibus quæ ſunt boni ſucci,& ſimilibus. Concedant cibos incidentes & calefacientes, vt ſynapi,cappares,& ita vtantur cibis tenentibus mollem aluum, maxime ſi ſint ſoliti, vt vtendo brodiis carnium,rebus conditis cum oleo, piſces quoque comedant qui ſunt facilis digeſtionis, & mollium carnium, vinum autem bibant tenue, album, & mediocriter calidum. quod ſi bibant aquam ſit decocta cum radice apii, fœniculi, capparum &c. Iſtis autem cibis vtendo ſeruent regulas vniuerſales iam ſuperiùs datas. Somno vtantur moderato, vigilia moderata. Quo ad motum, & quietem vtantur dicit Galen. frictionibus, quòd ſi ſit acceſsio breuis, diebus interpollatis vtantur ſolitis exercitiis in ſanitate, curent vt ſuperflua omnia excernantur, fugiant omnino triſtitiam, quia eſt vna de cauſis humorum melancolicorum, ſtent læti, & viuant in choræis, audiant cantantes, & pulſantes inſtrumenta, auditum delectantia, audiant tantum quæ delectant: hæc quantum ad regimen, in ſex rebus non naturalibus. quo vero ad correctionem accidentium tria ſunt membra, quæ præcipue leduntur in quartana, ſtomachus, ſplen, & hepar, & quoniam ſtomachus expellit, ſplen nutritur, hepar generat humorem melancholicum ideo de eis habenda eſt cura, ſtomacho ſunt applicanda confortantia cum rebus calidis, ſicuti applicando abſynthium, maſticem, ſpicam aloen, roſas, vel ex eis faciendo ceratum, ſi volumus magis confortare, addenda ſunt cydonia 13. de ing. cap. nono. Sic ergo confortamus ſtomachum cum exterius applicitis, & interius cum eis, quæ dicta ſunt poſt exhibitionem pharmaci, ideo ipſe melius poteſt digerere, & ſi ſint

mali humores in eo, expellere. Splen, & hepar de facili indurantur 13. de ing. cap. 10. hepar quidem quia tunc continet ſanguinem groſſum, lien vero quia ipſum trahit ad ſe. Ideo per intus debemus dare res abſtergentes, aperientes, & euitare viſcoſas, hæc quæ ſint, quãtum ad medicinam dictum eſt, in loquendo de digeſtiuis. Quantum ad cibos, loquendo de cibis, exterius oportet applicare res calefacientes, & mollificantes, oportet tamen ſemper addere res confortantes, vt abſinthium 13. de ing. cap. nono & decimo, & quoniam iſti ſunt triſtes ſunt applicanda cordi, vt flores boraginis, & ſimilia quæ ſpiritus habent confortare, & hæc pro cura quartanæ periodicæ.

De cura Quartanæ continuæ.

Quartana continua, fit ab humore melancholico, contento in venis, ideo eaſdem habet cauſas, & eadẽ ſigna, quæ habent interpollatæ: differunt tamen ſecundum magis, & minus, & iſta nunquam ad infebricitationem terminatur, in cura quoque dicit Auicen. non differt ab interpollatis, tantum differt, quoniam in continua non debemus vti rebus adeo calidis ſicuti in interpollata & in continua quoniam materia eſt intra venas, eſt magis neceſſaria phlobotomia, & non æque debemus vti carnibus in continua, ſicut in interpollata quia eſt breuior, & egemus ſubtiliore diæta.

De cura Quintanæ Septenæ, & Nonanæ.

Circa has febres videtur eſſe aliqualis diuerſitas inter Hyppocratem & Galenum. Hyp. in primo epid.

ſectio-

sectione tertia, dicit dari istas febres, Galen. ibi dicit quòd nunquam vidit septenam, & nonanã, quòd quintanam nunquam vidit manifestam, idest durantem, in suis paroxysmis, sed aliquando occultam, idest mutantem paroxysmos, sic quòd veniebãt aliquando duo paroxysmi quintanæ, post mutabantur, & si venit septena nõ est dicendum quòd id ex terminato humore sit, sed ex inordinato regimine, vt si adueniat vnus paroxysmus, qui amplius de se non rediret, & ꝙ æger vtatur inordinato regimine, potest esse in alia septena alius reuertatur paroxysmus, sed id non est ex natura humoris, sicut videtur dicere Auicen. nam sic esset ex humore apto pro quartana sed pauciori, quare sicuti datur, quintana, septena, & nonana, ita non datur sextana, octena, & dena? secũdum quòd erit maior, vel minor quantitas materiæ. Item tunc non videtur ꝙ septena sit salubrior quintana, quia sic in ea erit maior adustio: non possumus ergo dicit Galen. ratione decidere istam quæstionem, sed est decidenda experimento. Credendum est quidem Hyp. qui dixit quòd datur, sed ego eas non vidi, & quoniam hoc tantum experimento comprobari potest, ideo ex me nõ possum dicere quòd dentur, sicuti Galen. in totum negat has febres, nec contradicit Hyppocrati. Sed conuenit ꝙ ex se non potest dicere quòd dentur, & quoniam hoc est decidẽdum experimento, non ratione: & quoniam ipse eas vnquam manifeste vidit ideo non potest dicere, quòd dentur, credendum tantum est Hyppocrati, qui dicit quòd dentur. Quintana ergo dicit Hyp. est mortalis, & reperitur cum phthisi. hoc Gale. dicit esse verum vniuersaliter, Auicen. indefinite septena est longior, sed nõ mortalis, nonana iterũ est lõgior, Secũdũ Gale. ergo non possumus dicere, ex qua materia fiant

istæ febres, & earum curam nullo in loco posuit. Ideo secundum ipsum earum curam non possumus explicare. Auice. autem quum velit quòd fiant ex eadem materia, ex qua quartana maxime phlegmatica, ideo dicit, quòd eius cura est sicuti cura quartanæ phlegmaticæ, ideo quantum ad cibum debemus primis tribus diebus subtiliare regimen, post iterum ingrossare, & demum, quando versus statum procedimus, suptiliare. Cibi autem debent esse boni nutrimenti, & velocis digestionis, non grossi, & viscosi, ita in aliis rebus non naturalibus, debent regi, sicuti in aliis quartanariis dictum est. Quantũ ad medicinas, debemus procedere. Primo cum digestiuis, & similibus iam dictis, & post vti educentibus, & maxime per vomitum, & poterimus, cum hieris appropriatis educere humorẽ peccantem, poterimus post exhibere theriacam, & in reliquis vti eis, quæ diximus in cura quartanæ.

De cura Febris hecticæ.

Tres sunt corporis particulę spiritus scilicet, humores, & pars solida, quòd si febris esse debet in aliquam partem in calefacto esse, positum, est esse necessarium, primo de diffe. febr. primo quòd si sit illa caliditas in parte solida impressa, tunc est febris hectica. primo de diff. febr. octauo, verum est quòd, quoniam hectica dicitur, idest habituata vel habitum occupans primo de diff. febr. septimo, quando est in ipso principio, & adhuc ipsum habitum non firmiter occupauit, dicitur potius schetica, octauo de ing. primo, quando occupauit dicitur hectica, calor autem ille in solidis existens, vel tantum ponit humores & humiditates, in ebullitionẽ, & tunc dicitur principium, vel exiccat membra soli-

da,

da,& tunc dicitur tabes, vel quoniam vt dicitur sexto de ing. septimo, decimo de ing.vltimo, exiccationes sic procedunt,quòd primo exiccentur humiditates,& hoc duobus modis, vel illæ quæ sunt adhuc in paruis venis,vel quæ sunt extra venas,vel adipem & pinguedinem,vel membra solida,si exiccatio fiat non in mēbris solidis, sed in aliis est medium,sic in tres partes diuiditur ista febris à Gal.primo de diff.febr.nono. Ista autem quæ in medio est habet latitudinem,secundum ꝙ fiunt diuersæ exiccationes. Illa in qua exiccantur humiditates in uenis est proximior principio, post in qua exiccentur, quæ sunt extra venas per ordinē,post illa in qua exiccētur,& adepes, & caro, & ista est proximior tabi, vera ergo tabes est in qua corruptæ sunt humiditates nutrimentales, & exiccātur humiditates radicales,& ista est penitus incurabilis decimo de ing. vltimo, primo de diff.febr. octauo, principium facile curatur, medium facilius & difficilius curatur, secundum quòd magis accedit ad tabem, quæ enim est proximior tabi, est difficilioris curæ. Quum tamen omnes humiditates, excepta radicali, quæ est membrorū solidorum, sint reparabiles, ideo omnes partes hecticæ, in quibus tantum consumuntur humiditates nutrimentales, sunt curabiles,& quoniam humiditas radicalis reparari non potest, (aliter enim esset remedium morti.) Ideo tabes exquisita,est incurabilis,hæc omnia colliguntur,septimo de ing.sexto,decimo,& vltimo,sic ergo diuersificatur hectica,quam secundum speciem distinxit Auicen.hæctica,potest fieri incipiendo primo de diff.febr.octauo,tertio,de prognost.ex pulsu,tertio,sed fit cum ephemera, quando est fortis causa primo de diff. febr.octauo, per se sola fieri non potest incipiendo, in principio tamen cognosci po-

test minime, quia habet signa etiam ephemeræ, sic intelligere Galen. debemus secundo, de Crisi. vltimo, si ergo fiat incipiendo habet omnes partes, verum si sequitur putridas, sicuti in plurimis est, primo de diff. febr. octauo, non est necessarium quòd præcedat principium, nec omnes partes per ordinem, sicuti ibi ostendit Galen. Aduenit autem non in complexione humida, sed sicca, maxime si sit iuncta caliditas, si vita sit in laboribus, in vigiliis, in curis, cum victo pauco, in æstate, ac statu cœli calido, & sicco, regione pariter calida, & sicca, & loco simili, & ista febris maxime solet inuadere ex ira, tristitia, hæc omnia habentur, primo de diff. feb. nono. Signa hecticæ quando adhuc non est tabes, sunt similia præcedentibus causis procatarcticis, facientibus caliditatem, & siccitatem, vt esset ira, tristicia &c. & æger febrit, & eo transacto die caliditas nec augetur, nec minuitur, & ariditatem representat, tunc suspicandum est de hectica, quòd si permanserit vsque ad quartam diem, & nihil pariter fuerit immutatum, & permaneat ariditas cum caliditate, quæ primo tactu appareat mitis, post acris, mordax, & arida, tunc certe est dicendum quòd est hectica, si calor post cibum per horam, aut duas augeatur, & pulsus fiant maiores, & velociores, sic q; videtur noua acessio, tunc est signum indubitatum hecticę, tertio progn. sexto. Item caliditas est æqualis sine excrescétiis, excepta illa quę est post cibum, pulsus est debilis, paruus, durus, & frequens, caliditas est maior in arteriis, hæc sunt signa hæcticæ à Gale. collecta primo de diff. febr. nono, quòd si transeat in tabem, tum oculi sunt immodice concaui, exhausto eorum liquore, sicci, flos vitalis extinctus, siccitas immoderata, habent inopiam vigilandi nec vere dormiunt, collapsa sunt tempora, ita

appa-

apparent in viſceribus, & inteſtinis, & tandem nihil aliud ſunt quàm pellis & oſſa,cutis eſt arida, & pulſus tenuis,durus,debilis,& frequens, caliditas mordacior apparet quanto magis tangitur, & ſic ex iſtis ſignis tabidos facile cognoſcimus, hæc Gale.primo de diff.febr. nono, de hectica, quoniam tantum calor ſit cum ſiccitate in membris ſolidis impreſſus ſine humoribus. Si pura ſit,ideo in ea à cauſa nulla ſumitur indicatio, omnis igitur indicatio,in eius cura ab ipſa ſumitur febre, febris autẽ eſt morbus calidus, & ſiccus primo reg.acut.42.Ideo in ea eſt tantum indicatio de frigiditate,& humiditate 10.de ing.ſeptimo, complexio autem,& aer indicant de applicatione rerum magis,vel minus frigidarum & humidarum,nono de inge.14. Res autem frigidæ & humidæ quibus vtimur in cura hecticæ,vel ſunt exteriusapplicandæ vel interius ſumendæ, exterius applicandæ ſunt aer,medicamenta, & balneum,interius autem ſunt quæ eduntur, & bibuntur, & hæc ſunt in ſecunda differentia vel vt cibi vel vt medicinæ,hæc non exprimit Galen.ſed colligitur ab Auicen.& Aetio in iis ergo dicit Galen.10. de ing.octauo, eſt omnis cura hecticæ. Cæterum vt dicitur de ing.ſeptimo, quoniã humida non tranſeant ſecundum gradum, quinto de ſimpli. ſic ſunt minoris actiuitatis quam frigida, ideo eſt maius periculum in infrigidando, quam in humectando, ſed citius inducimus frigiditatem, ideo cum maiori cautela debemus applicare frigida,tertio de ing.octauo, ſed quum ſemper ſit intentio de infrigidando, & humectando,debemus curare vt quæ dãtur ſint frigida, & humida, quòd ſi frigida ſint & ſicca debemus miſcere humida, ſi humida & calida,debemus miſcere frigida. Dicendum ergo de his ſex rebus ab exterioribus, & primo ab ae-

re ſicuti facit. Galen.decimo de ing.octauo,exordiat. Aer ſi temperatus ſit dicit Galen.debemus cum talem eligere, & ſi ſit nimium calidus, vel frigidus eum corrigere, ſi ergo nimium calidus ſicuti æſtate eſſe ſolet, tunc eligendæ ſunt domus ſubterraneę,tranſpirabiles, aſperſæ aquis,& rebus frigidis, arcendo turbam hominum,& faciendo omnia pro infrigidatione eius, ſicut inſuperioribus dictum eſt,ꝗ ſi ſit aliqualiter frigidius, eum debemus eligere,ſi vero nimium frididus conuenit quidem ratione tranſpirationis, quia ſic refrigerat cor, maxime, ſi principalis cauſa ſit cor, nocet tamen ratione cutis, cui ſi occurrat eam conſtipat, & vaporum exhalationem prohibet, maius tamen eſt iuuamẽtum nocumento, quòd ſi volumus etiam illud euitare nocumentum,poterimus aliqualiter alterare illam intenſam frigiditatem, quæ tamen ſolet eſſe in hyeme, accendendo ignem leuem in camera,vel quoniam ille aer multum conuenit, ſi volumus eum eligere, debemus cooperire corpus,excepta facie cum pannis calidis,& prohiberę, ne ille aer ita frigidus occurat corpori, hæc omnia habet Galen.decimo de ing.octauo, poſt aerem ſunt applicanda per exterius,vt iniunctiones, cataplaſmata emplaſtra, aquæ, iſta dicit Galen. decimo de ing.nono, poſſunt refrigerare,& humectare ſine aſtrictione,ſed difficile eſt talia reperire, optimum ergo quod applicari posſit,eſt vnguentum,quod dicitur infrigidans, Gal.modo ordinatum, ſicut decimo de ing.nono ordinat Gal. Multa alia ſunt, vt ſumendo ſuccum herbarum frigidarum ſicuti polygoni, lactucæ, intybi, & roſarum, cum polenta, vel per ſe, item oleum roſatum ex oliuis immaturis, hæc omnia applicari poſſunt,& ea miſcendo,& ſeparatim,& quoniã vt dicitur de ing.octauo,ſæpe hectica habet origi-

nem

nem ab aliquo membro particulari, vt à pulmone, & stomacho, ideo hæc remedia non omni corporis parti sunt applicanda, sed parti illi, à qua procedit hectica decimo de ing. nono, debent auté talia remedia actu frigida esse, non miscendo res calidas, sicut patet ibi à Galen. & quando sunt calfacta à calore febrili, oportet ea remouere, & iterum illa, vel alia eiusdem virtutis applicare, & indifferenter possunt applicari membro siue principali, siue non, septimo, de ing. vltimo. Aduertendum tamen est ne membrum propinquum lædatur sicut Galen. accidit, septimo de ing. octauo & refert ipse decimo de ing. nono. Tertio sunt balnea, quibus, & si non sunt in vsu in sanitate, si oportet, vti debemus. Nam etiam tempore Hyp. non erant in vsu, tertio regim. acut. 42. & tamen eis ipse vtebatur, tertio regim. acut. 59. & quoniam, quod maxime conuenit in hectica est balneũ, decimo, de ing. decimo, ideo balneis etiam tempore nostro in hecticis, licet nõ sint in vsu, vti debemus, & licet etiam aliquando balneare ægrum etiam aqua frigida, nisi periculum sit nimiæ infrigidationis, tamen dicit Galen. ex thucididis sententia, decimo de ing. decimo, quando vnica est spes salutis, melius est ea vti cum periculo, quam relinquere ægrum sine remedio mori. Sunt autem balnei secundum quòd antiqui eis vtebantur, sedes quatuor, decimo de ing. vltimo, prima est aeris calidi, quæ virtuté habet calefaciendi, liquandi, & æquandi materiam, relaxandi cutem, & multa retenta euacuandi, secunda, sedes est, aquæ calidæ. hæc humectat & calefacit, tertia est aquæ frigidæ ista refrigerat, cutim densat, & virtutem roborat, quarta est in qua fit sudoris abstersio, & ista corpus per sudores euacuat, sedes omnes balnei conueniunt hecticis, secundum omnes virtutes

excepta calefaciente, quæ repugnat omnibus febribus: iuuamenta autem, quæ ex balneis sequuntur, sunt quod quicquid fuliginosum, & fumidum est, educitur caro, ossa, & cutis, in naturali dispositione ponuntur, ariditas solidorum membrorum corrigitur, calor præternaturalis remouetur, quòd si hęc à balneis sequuntur iuuamenta, (quis est qui balnea hecticis non concedat?) conuenit tamen maxime lauacrum aquæ frigidæ, & sine ipso ferè nihil facerent cæteræ virtutes, nec secus sanari potest hecticus ratione balnei, vt ibi ostendit Galen. verum quoniam in hecticis est parum sanguinis & est carne nudus, pinguedinis expers. Ideo si foret iuuenis causone laborans, posset subito in balneo aquæ frigidæ lauari, debet tamen ipse prius poni in aqua calida post in frigida. Sic enim corpus post aquam calidam magis resistit frigiditati, nec membra solida, & eorum virtutes adeo læduntur: sunt ergo omnes hectici, si non sit putrida, vel phlegmone in partibus interioribus, balneandi, ponit Galen. 11. de ing. vltimo modum, quē seruare debemus in balneis, circa omnes sedes, quoniam vt dicit ipse, septimo de ing. sexto, omnes ferè diuites suis temporibus habebant balnea domi, sed quoniam nostro æuo nec domi, nec alibi habētur omnes sedes balnei, ideo crederem, quòd non penitus omittendum tam salubre & tam necessarium medicamentum, sic possumus procedere, vētre vacuo, in camera ægri reddito aere temperato, vel magis ad calidum declinante, vt sit similis prime sedi, debent portari duæ tineæ plenæ aqua, vna calida altera frigida, & quoniam in aqua Galen. nihil concoquit, ideo eam puram reciperem, post facerem vt quatuor homines in vno linteo versus calidum vrgēte ægrum sumerent & ipsum à lecto leuiter pertractando leuā-

tes facerent, vt in aquam calidam immergerent,maxi me si vterque sit fortis,curarem post vt æger ibi staret aliquantulum, Galen. tamen in ea sede stare permittebat donec caro intumesceret, septimo de ing.sexto, quia erat tātum intemperies sicca, nec erat periculum propter caliditatem aquæ sicut est in hectica. Quum æger post aliquantulum temporis in ea tina stetisset, facerem, vt eum in aqua frigida immergerent,& tantum ibi stare permitterent quantum virtus sufferret, quod cognoscitur ex tolerantia ægri. Curarem postmodum, vt illi quatuor homines ægrum in lectū, qui debet esse proximus, & calidus portarent,& post primo cum spongia, deinde cum panno lineo leuiter, & blande pertractando ipsum abstergerent, factaque detersione cum oleo cōmuni, vel alio appropriato eum inungerent,debet autem oleum esse tepidum,quia aperit, frigidum constipat, & hoc in isto casu esset perniciosissimū,tertio regim.acut.44.& secundo de simpl. cap.6,quòd si timemus de virtute,& corpus esset multum exiccatum,prima aqua debet sumi tepida,alia aliqualiter frigida, sed non pure frigida, decimò de ing. 10.sic quoque æger potest stare in vtraque aqua secūdum dispositionem virtutis. Possumus autem vel bis, vel ter reiterare in die,si æger sit assuetus, septimo de ing. sexto,forsan æuo nostro est satis semel balneare, in mane ante prandium, propter inassuetudinem, ꝙ si marasmus esset confirmatus, tunc quoniam impossibilis est cura 1.de diff.febr.9.10.de ing.10. morituri autem sunt solis prognosticis relinquendi,primo Apho. 8.aliter detur pamus medicamēta, quæ alteri possunt esse salubria 10.de ing.nono. Ideo in tali casu nec balneis vti debemus, quod si esset secura mors, tamen astantes vellent vt aliquanto plus viueret, tunc facta

pro-

testatione imposſibilis ſanitatis, poteſt lauari, quoniã ex maraſmo poteſt induci hectica ſenectutis, quã mor bum ſenium Philippus appellabat, quæ licet etiam in curabilis ſit, tamen plus cum ea poteſt durare ęger Ga len. decimo de ing. vltimo dicit, ſe conſeruaſſe viuum laborantem tali ægritudine, non tantum per dies, ſed per menſes, hæc de balneis, & ſic de rebus exteriori- bus. Reſtat vt ad res interius ſumendas deueniamus. Res omnes, quæ interius ſumi debent, oportet vt fri- gidæ ſint, & humidæ & vt ſint medicinæ, vel cibi, & po tus, vel aer, Gal. ſeptimo, de ing. ſexto, & decimo, de ing. decimo non ponit medicinam quæ valeat tantum vt medicinæ. Sed quæ valent vt medicinæ, & cibi. Aui cen. tamen aliqua ponit quæ tantum inter medicinas adnumerari debent, ſequendo tamen Galen. quia ibi poſſumus cũ cibis medicinalibus procedere tutius eſt quã cum puris medicinis procedere, naturæ enim ſunt magis conformes. Duo ſunt præcipua remedia in cõ muni vſu quibus ad infrigidandum, vtimur, & hume- ctandum intus ſuſcipiendo quæ valent vt medicinæ, & vt cibi, & ſic ſunt cibi medicinales. Primo eſt aqua can crorum, vel limaciarum, ſecundo eſt lac, licet Gal. ni- hil dicat de cancris in iſta cura, quia tamen Dioſc. lib. cap. 12. dicit quòd cancri decoctio valet exhibita tabi dis, & idem refert Auicen. in iſta cura, & ſunt in com- muni vſu. Ideo primo loquemur de cancris, poſt de lactæ. Cancri quia ſunt frigidi, humidi, ideo hecticis conueniunt, maxime ſi ſunt phtyſici, quia videntur ha bere proprietatem cum pulmone, eorum caro non vi- detur conuenire, quia cibi pro hæcticis debent eſſe fa- cilis digeſtionis, & non groſſi nutrimenti ſeptimo, de ing. ſexto. Cancri autem Limaciæ, & ſimilia ſunt du ræ carnis, & difficilis digeſtionis, ſicuti in capitibus

pro-

propriis patet, tertio de alim. quòd si esset virtus fortis forsan possumus dare contusum de eis, est tamẽ melius facere decoctionem sic, accipere oportet caudam, & pedes, & euellere à toto corpore, & etiam, quoniã in cortice est ius exiccatiua, debemus eos excorticare, post cum aqua, sale, & cinere ipsos bene lauare, deinde cum aqua pura, demum eos in sufficienti quantitate aquæ ordei decoquere, & eam decoctionem colatam exhibere post balneum cum ptisana, si non detur lac, ita dictum est de limaciis. Possumus quoque dare destillatum factum ex eis, sicut communiter fieri solet, & erit facilioris digestionis, quã caro, & in ea erit maior virtus quam in decoctione, aduertenda tamen est virtus exiccatiua, quæ acquiritur ex lambico. Post hæc est lac, quod esse humidum nulli est dubium, quod sit frigidum patet, quarto de simpl. med. 16. & quinto, Aph. sexto, quòd si Galen. quinto de simpl. med. dicit ꝙ habet tepidam caliditatem, per tepidum intelligit mediocriter frigidum, sicut patet, tertio de tuend. sani. Quod si etiam, tertio, compl. vltimo, dicit quòd est calidum, intelligit, quando est conuersum in sanguinem. Quum igitur lac frigidum sit, & humidum facilis digestionis, & boni nutrimenti, ideo maxime laudatur in hecticis, septimo, de ing. sexto. Cibi enim qui in ea sicca cerebri intemperie conueniunt, lac humanum est propter similitudinem. Quod si non velit æger sumere lac humanũ debet sumere, quòd sit aliorum animalium diuersum secundum diuersam hectici dispositionem, quando viæ sunt magis apertæ conuenit grossius, quando sunt magis strictæ, subtilius in principio viȩ sunt ampliores, post vero strictiores, lac caprinum est simile multum cum humano, & est substantiȩ aliqualiter grosse, ideo dari potest in principio.

Lac

Lac asininum est subtilioris substantiæ ideo dari potest, procedente ægritudine. Gale. septimo de ing. sexto, & decimo de ing. 10. maxime loquitur de asinino. Debemus ergo accipere asinam iuuenem, & ab ipsa summouere pullum, eam nutriendo cum herbis frigidis, & humidis, curando vt bene digerat post debemus curare, vt æger post balneum, vel saltem ieiunio stomacho ab eius vberius emulgeat lac, quod si ipse recusat, hoc facere debemus, ducere asinam in cameram ægri, & facere vt subito quando extractum est lac, ipsum bibat, primo autem debet bibere vnum cyathum cum dimidio, & sic procedendo semper, debet augere dosim, sed ad quam quantitatem ascendere debet, determinari non potest vt Gale. dicit decimo, de ing. vltimo sed id coniectura assequemur, donec scilicet non fluctuet in stomacho, & virtus non grauetur, septimo de ing. sexto, videre autem oportet an in stomacho corrumpatur, & hoc cognoscitur ex pulsu, si sit maior aut valentior, signum est quòd non corrumpitur, quod si timeamus de caseatione addemus ei parum mellis, vel salis, licet ista non conueniant, ratione febris in hæcticis de se, quòd si ventris fluxus sit, laudatur lac acetosum, de hoc tamen, in hac cura nihil dicit Galen. post lactis assumptionem, debet æger quiescere, & vigilare, debemus autem sic procedere cum lacte, dicit Gal. primo de ing. sexto, donec æger melius se habeat, post quando tendit sanitatem versus debet regi æger, vita conualescentis, & tunc poterimus omittere lac, hæc de lacte, quod conuenit vt cibus & vt medicina, de aliis cibis, loquendo de sex rebus non naturalibus, dicemus. Sexto, erat aer qui inspiratur, qui debet esse frigidus, & humidus, sed de ipso iam dictum est hæc igitur de illis sex rebus, quibus præcipue

vti

vti debemus in hecticis sufficiant. Quantum ad sex res non naturales, de aere dictum est, cibi omnes qui bus in hecticis vti debemus debent esse frigidi, & humidi, boni nutrimenti, non grossi, non viscosi, nec durę digestionis, & in eorum exhibitione debemus simul comparare earum naturam, & virtutis dispositionem, cōuenientes ergo cibi vitra lac, sicut ex Gal. patet tertio de ing. 6. sunt succus ptisanę frigidus, halica, cū cre more ptisanę 10. de ing. 10. panis ī furno bene coctus, bene fermētatus, cū pauco salis in aqua infusi, pisces saxatiles, ius albū, testes gallinacei, perdices, passeres montani, & similia, de vino Gale. 10. de ing. decimo, nihil dicit, in septimo de ing. sexto, dicit quòd conuenit in illa dispositione sicca stomachi, modo non sit febris, & aqua maxime vituperatur, quia multas parit noxas, & Galen. ibi, & Hyp. tertio, regim. acut. primo referunt per opposita, & maxime laudat vinum, quod plura producat iuuamenta. Crederem ergo quod maxime, quando indigemus restauratione, vinum album aquosum aqua permixtum conueniret, in dandis autē cibis plus oportet dare insero, quam in maneq;, parum pro vice, sed sæpius est tamen necessarium expectare quòd cibus prius datus sit digestus, post cœnam non bibat, nisi facta digestione qua peracta, si sitim tolerare non possit, aliqualiter bibat, vtendum est autem cibis consuetis, & naturæ indiuidui conuenientibus, hæc omnia ibi refert Galen. Quantum ad somnum, & vigiliam debent mediocres esse, non est dormiendum statim post assumptionem lactis, nec post prandium, quantum ad motum, & quietem, quies magis cō uenit quàm motus: leui tamen exercitio vti potest, si est possibile vacuo stomacho, & vtatur debitis frictio nibus: quæ tamen sint leues & molles; quantum ad ina nitio-

nitionem, & repletionem curari debet, ne nimis cibis repleatur, & quòd excrementa non retineat; omnia tamen blande facere oportet. Quantum ad accidentia animi, euitent omnia accidentia sæua, maxime quæ calefaciunt, & exiccant sicut est tristitia, ira, dolor, sed stent læti mediocriter, & cum delectatione viuāt, hæc quoad sex res non naturales. Restat modo, vt accidétia corrigamus. Accidentia quæ maxime sequuntur in hecticis sunt syncope, & fluxus ventris, quo ad syncopim vtendum est eis quæ dicta sunt in cura syncopalis minutæ, quo ad fluxum, si fuerit fluxus, melius est vti lacte acetoso, & in aqua hordei dicit Auicen. ponatur milium torrefactum, & sic procedere debemus cū illis, quæ ventrem sistunt. Aduertendum tantum est, ne sit multum sicca, & sic miscere possumus diuersa remedia secūdum diuersitatem intentionem, & hæc pro cura hæcticæ febris.

De cura Hecticæ Senectutis.

Hectica Senectutis, vt colligere possumus decimo de ing. decimo, est siccitas inducta in membris solidis sine febre de se, & senibus præcipue aduenit, septimo de ing. sexto, aliquando tamen, & iuuenibus, decimo de ing. decimo, & est similis dispositioni naturali, quādo aliquis moritur morte naturali, huius signa sunt, signa marasmi exceptis signis, qui ex febre procedunt, ratione caliditatis in ea enim non est febris, ideo dicit Auicen. In tali hectica sunt pulsus tardi, parui, & rari, & quandoque habent vrinam albam, & subtilem, & in aliis dispositionibus sunt senibus similes. Ista dispositio, si confirmata sit, scilicet quòd sint exciccata membra solida, quia ipsa restaurari non possunt, aliter esset

esse remediū morti, ideo est incurabilis, eius ergo curā aggredi non debemus, quòsi si non sit adhuc confirmata, idest, sit tantum siccitas in prioribus humiditatibus, licet hæc vere hectica senectutis dici non possit, tunc eam curare est possibile, quoniam vt dicitur septimo de ing. sextto, omnes exiccationes ea excepta, quæ in membris solidis est sunt curabiles. Quum igitur talis dispositio sit sicca tantum, ideo humidis, non frigidis vti debemus in eius cura, & quum tanta siccitas non reperiatur in membris, nisi cum defectu caloris naturalis, qui humido, quod est eius pabulum, deficiente, absumitur. Humida igitur applicari debent, etiam debent esse calida, seruandus est tamen ille ordo in ista cura qui seruabatur in cura hæcticæ febrilis, excepto quòd loco frigidorum vti debemus calidis. Aer ergo debet maxime esse humidus, vrgens versus calidum, applicandæ quoque sunt exterius medicinæ quæ debent esse humidæ, & mediocriter calidæ, vt esset oleum de ben, vel sesaminum dicit Gal. & debent applicari sub actuali caliditate. Balnea multum conueniunt, sed calida tantum, septimo de ing. sexto. Medicinas per interius maxime soluentes debemus euitare, quantum possumus. Possumus tamen vti maxime si non sit beneficium ventris, propter nimiam siccitatem, clysteri, cum rebus calidis & humidis, vt cum cicere contrito cum melle, chamemelo, & ficubus faciendo decoctionem in debita quantitate aquæ addendo vnc. 2. olei sesamini, vel de ben, & sic conficiendo clysterem, cibi debent esse humidi versus calidum vrgentes, vinum etiam est exhibendum. Sed quoniam habito modo procedēdum in hectica febre, habetur etiammodus curandi senium, non enim differunt nisi quia in senio non est caliditas febrilis, ideo hæc pro

ista cura sufficiant.

De cura Febris Pestilentialis.

Morborum, vt dicit Hypp. in libro de natura humana, quidam sunt sparsi, quidam communes: communiũ autem vt dicit Galen. primo epid. commento primo, & primo reg. acut. nono, quidam sunt epidemii idest publici, quidam endemii idest vulgariter grassantes, & horum, qui maxime exitiosi sunt, pestilentiales dicuntur, vt dicit Galen. tertio epid. Ideo eorum Crises, vt plurimum terminantur male, secundo Aph. 13. est ergo febris pestilentialis morbus communis populariter vagans, & exitiosus: fit autem, vt plurimum ex aere plurimum calido, si ei maxime sit admixta putredo, vel malitia, aliquando etiam ex humore intus acquisita venenositate putrescente, primo de diff. feb. quarto. Proprie tamen hæc febris pestilentialis, pestis debet dici, tertio de præsagio ex puls. cap. de pulsibus in frigidis intemperaturis. Causa tamen maxime communis est aer, quam adduxit Hyp. in libro de natura humana, potest tamen fieri ex aquis putrefactis, & vaporibus eleuatis à rebus putridis, & fetentibus, primo epid. commen. primo. Sed quoniam, vt plurimum lædunt quando inspirant aerem, ideo Hyp. causam omnium communissimam expresſit, vt ibi excusat Hyppocratem Galen. Possunt quoque esse in causa cibi mali semiputridi, vt legumina &c. quoniam à pluribus comesta habent rationem naturę communis, sic accidisse refert Galen. in lib. de euchymia, & cacochymia, & in commento secundo de natura humana. Sunt autem istæ febres vel putridæ, vel hecticæ. Secundum quòd vel infesti sunt humores, vel substantia

cordis,

cordis, tertio de præsag. ex pulſ. cap. de pulſ. frigidæ intemperaturę putridæ poſſunt aduenire etiam, quòd corruptus non eſſet aer, & febres peſtilentiales proprie dicuntur. Hecticæ autem proprie fiunt ex infectione aeris, & maxime pernitioſæ, & contagioſæ, & proprie peſtes dicuntur. Aduenit autem præcipue corporibus plenis ſuperfluitaté, maxime ſi ſit obſtructio, vel plethoria, in vita ocioſa degentibus, crapulis, ventrique immoderate indulgentibus, maxime ſi corpora fuerint calida, & humida, primo de diff. febr. quarto, febrium peſtilentialium, vt dixi quædam ſunt hæcticæ, quædam putridæ, & putridarum quædam à ſanguinæ, quædam ab alio humore, qui humores aliquando in vna parte, aliquando in alia putreſcunt, aliquando ad vnam partem, aliquando ad aliam, aliquando ad nullam expelluntur. Hinc tot diuerſa apparēt in eis ſigna & ſymptomata, quot enumerat Hyp. tertio, epid. & Gal. i lib. de euchymia, & cacochymia, & tertio de præſ. & pulſ. incipiēdo ergo à putrida quia ſæpius euenit, tales febres ſunt ardentes, 3. epid. & in lib. de euchymia aliquādo magis acutę aliquādo minus, & ideo aliquādo calorē, & ſitim habent intenſiorē, aliquando remisſiorem, pariter materia quæ putreſcit, aliquando eſt magis incluſa in partibus interioribus, aliquando eſt per totum corpus diſperſa, aliquando magis acuta ta, & calida, aliquando cruda, & excrementoſa, ideo aliquando adſunt deliria, aliquando ſonnolentia, pariter aliquando nullo modo expellitur, aliquando ad loca debiliora truditur. Hinc aliquando moriuntur antequam appareat aliquid in partibus corporis, aliquando ſequuntur phrenetis, ſomnolentiæ immobilitates, ſpaſmi inquietudines, horrores lippitudines, vitium vocis, puſtulæ in ore, tuſſes, phthiſes, deiectiones

appetitus, dolores ſtomachi, ſyncopis, tenaſmones, li enteriæ, dyſenteriæ, alui perturbationes, vlcera veſicæ, difficultates vrinæ, aquæ inter cutem, puſtulæ diuerſorum colorum, per totam cutim vlcerationes diuerſimode, ſcabies, phagædenæ, carbunculi modo in pudendis, modo in aliis partibus, ſecundum quòd materia, ad caput, ad neruos, ad oculos, ad os, ad pulmonem, ad ſtomachum, ad inteſtina, ad veſicam, ad hypo chundria, ad cutim per vniuerſum corpus, ad partem exteriorem determinatam demandatur, & ſic aliquan do horum vnum, aliquando plura apparent, ſecundũ quòd materia ad vnam partem vel ad plures truditur, verum hæc omnia, quoniam etiam cum aliis febribus non peſtiferis, aliquando apparent, ideo poſſumus diſcernere per ea ab aliis, niſi habeant occultam malitiã, vltra peccantem humorem, ſecundum ſuam naturam quæ naſcitur ex venenoſitate eius adiuncta, propter quam vt plurimum ægri moriuntur. Vnde dicit Hyp. tertio epid. quòd tales ægritudines, vel non iudicant, vel ægre. Criſes enim in peſtilentibus ſunt malæ vt plurimum, ſecundo Aph. 13. & ideo vt plurimum peſte laborantes moriuntur, vrinam habent, qui hac febre laborant vt plurimum turbidam, multam, malam, crudam, nihil diſcernentem, acrem, & graueolentem, egeſtiones crudas, multas, tenues, & fœtentes: pulſus, vt plurimum dicit Auic. frequentes, & parui in no cte magis vehementes, quando ergo plura horum ſignorum apparuerint, & cum occulta malitia communiter inuadunt, febrem peſtilentialem putridam eſt di cere: ſi autem ſit hectica peſtilentialis, dicit Gale. ter tio, de præſ. ex pul. cap. de pulſ. intemperiei frigidæ, febres habent remisſiorem, aliquando ab ægro nõ perceptibilem, vrinam in colore, & ſedimentum ſimile ſa

nis,

nis, pulſus quoque propter aliqua frigida contra caliditatem cordis cooperantia, ſimiles moderatis, tertio de præſ. ex pulſ. cap. de pulſ. quando arteriæ frigidæ, & cor calidum, & tunc cognoſci debent ex fœtore anhelitus, ſi etiam admouetur manus pectori, cognoſcitur febrilis caliditas, ſed hęc ſigna non faciunt pro medico, quoniam hæc febris eſt contagioſa, primo de diff. febr. ſecundo, ꝙ ſi vrina appareat conturbata, aquoſa & tenuis, certisſimum eſt ſignum hecticæ peſtilentialis, poſt balneum cibum reſpuunt qui hac ægritudine laborant, ſitiunt præter modum & frigidam poſtulant, eorum oculi inter lauandum ſunt calidi & flammei. Quum ergo dicit ibi Galen. talia ſigna apparuerint, certe dictum eſt, ꝙ adeſt peſtis, & per ea vt ibi patet, intelligitur de hectica peſtilentiali, quæ proprie eſt peſtis: non enim fit ex putredine humorum, ſed ex aere inſpirato venenoſo, ſubſtantiam cordis corrumpente, tertio de præſ. ex pulſ. cap. quando cor eſt calidum, & arteriæ frigidæ, hæc ſunt ſigna, ex diuerſis locis Hypp. & Galen. collecta, quibus febres peſtilentiales cognoſcere poſſumus. Veniendum modo eſt ad curam, Galen. decimo de ing. vltimo promittit ponere harum febrium curam, id tamen ſaltem non expreſſe exigit, niſi dicamus ꝙ cura in iſtis febribus nihil plus ſit, quàm venenoſitas vltra ea quæ de aliis febribus dixit, & ponendo curam aliarum febrium, & oſtendendo quæ venenoſitati reſiſtunt, earum etiam curam poſuerit. Hanc igitur præcipue ex dictis Hyppocratis, & Galen. colligendo ab intentione curatiua exordiar, in febre peſtilentiali ſunt omnia quæ ſunt in aliis febribus, ſed vltra eſt etiam venenoſitas, ideo intentio ſumitur à febre, & à venenoſitate: à febre autẽ putrida, de ea enim præcipue loquar in curando. Nam

de hectica parum eſt dicendum, quoniam incurabilis eſt. Nam vt inquit Gal.tertio de præſ. ex pulſ. cap. quando arteriæ ſunt frigidæ, & cor calidum, quando ſubſtantia cordis eſt à putredine occupata, quis medicinam,ad eam putredinem tolerandam excogitabit? quod non eſt dicendum de putrida,vt ipſe aſſerit. Quũ igitur putrida ſanationem admittat, ideo ad eius curã ſic me accingam. In hac febre vt dixi ſumitur indicatió ab ipſa,& à venenoſitate,in febri putrida duo ſunt, à quibus ſumitur indicatio, putredo ſcilicet,& febris, ſicut ſupra de mente Galen.decimo de ing.10.dictum eſt, eſt quoque virtus,à qua maxime ſumitur indicatio in iſta febre. Quatuor ergo ſunt,quæ principaliter indicant, febris ſcilicet, putredo,virtus,& venenoſitas, febris indicat de frigidis, & humidis,putredo præbet duplicem indicationem, vt ſcilicet quod putrefactum eſt,remoueatur, & quod eſt futurum, fieri prohibeatur,& hæc vt plurimum fiunt cum aperientibus, & incidentibus, quæ calida ſunt, maxime indicant de frigidis, venenoſitas indicat de prohibentibus eam,& talia ſunt ſtyptica, acetoſa, & vt plurimum frigida & ſicca, ideo de frigidis & ſiccis indicat: virtus autem de ſui conſeruatione indicat, ideo ratione virtutum,debemus dare cibos & cætera virtutẽ conſeruantia,quæ ſint ſimilia ætati,regioni, & complexioni. Quum igitur iſta ferè omnia contraria ſint & de ſe ægritudo ſit pernitioſa, ideo raro curari poteſt. Videndum tamen eſt quod magis vrget, & ei eſt attendendum altero nõ neglecto, ſicut ex regulis Galen ſupra in aliis dictum eſt, vt tamen per ordinem procedamus primo de illis dicam quæ conueniunt, indicatione ſumpta à putredine,aliis non neglectis. Materia illa quæ iam putrida eſt de ſui deductione indicat,ſed prius de inciſione,attenua-

tenuatione, & apertione. Primo igitur quoniam vt plurimum ſunt multæ materiæ corruptæ in inteſtinis, optimum eſt præmittere clyſterem, poſtmodum ratione ſumpta à materia ſimpliciter, quę febrem putridam facit eſſet intentio de phlobotomia. Verum quoniam in libro de euchymia dicit Galen. quòd merito Medici ſui temporis in ea peſte phlobotomiam propter viriũ reſolutioné abhòrrebant, ideo videtur, quòd in febre peſtilentiali propter defectum virtutis phlobotomia non conueniat. Crederem tamen quod in totum non eſſet abhorrenda, ſi maxime ſanguis peccaret, virtus conſtaret, & ætas maxime pateretur, licet nõ multum copioſa, tamen conueniret, quòd ſi principaliter non peccat ſanguis, tunc virtus non conſtat, eo caſu abſtinere debemus, nec eſt mirum ſi in ea peſte, quam ponit Galen. in lib. de euchymia non erat fienda, quoniã conſonum eſt, quòd propter illos malos cibòs, quibus homines propter penuriam vtebantur, illi laborantes, nõ ſanguine, ſed malis homoribus eſſent repleti, quod egrediens ſanguis oſtendebat. Ideo virtus, vt plurimũ non conſtabat, facta igitur phlobotomia, ſi eſt fienda, ſeruatis omnibus conditionibus, quæ in cura tertianæ puræ, & cauſonidis dicta ſunt, vel etiam ſi fieri nõ posſit, ad medicamenta ſoluentia non eſt ſubito deueniendum: materia enim indigeſta etiam ꝙ eſſet venenoſa, modo non ſit furioſa, non eſt educenda, quum de ea nihil dixerint Hyppocrates, & Gale. Primo enim quum pharmaca omnia ſoluentia, quæ fortia ſunt, venenoſitate participent, morbi malitiam augent, & quum digeſtio non ſit facta, nec humores diſſecti, nec viæ apertæ, conſonum eſt quòd nihil educetur, vel cũ maximo labore, & virtutis proſtratione, & tam de bono, quàm de malo educetur. Huc accedit, ꝙ quũ cauſa

principalis, vt plurimum ſit aer, quo lædimur, ideo cau ſam non auferimus, experimento quoque patet, quoniam dicit Hypp. tertio epid. quòd multos offendebat & ſubito moriebantur, quod ſi dubitemus, ne ęger moriatur, melius eſt ipſum ſinere mori, ex vi, & malitia morbi quam Medicum, & medicinam deturpare, medicamento ſolutiuo mortem accelerante. Poterimus tamen vti medicamento ex aloe, mirrha, & croco, vel loco croci ponere ammoniacum, ſicuti ponit Paulus. Hoc enim medicamentum non eſt venenoſum nec multum agitat. Regiones nanque hepatis nõ tranſcendit, & cum hoc exiccat, & venenoſitati reſiſtit, aliquas materias peccantes educit, his peractis, ſi eſt poſsibile, intentio ſumpta à putredine iam facta, indicat de eius eductione, ſed prius de inciſione, & apertione: poterimus ergo tunc videre quid magis vrget, an putredo, an venenoſitas, ſi putredo, debemus vti aperitiuis, ſi venenoſitas, ſtypticis, & acetoſis. Verum quoniam condenſant, & conſtringunt, & ſic prohibẽt intentionem ſumptam à putredine, ideo videndum, an materia magis peccat quantitate, vel venenoſitate, & ſemper vrgentiori magis eſt attendendum, altero nõ neglecto, ſed de iſtis diffuſius (loquendo de rebus nõ naturalibus) infra dicemus. A virtute quia vt plurimum in iſtis febribus obruitur virtus maxima ab ea ſumitur indicatio, & indicat de ſimilibus ætati, complexioni, & regioni, prohibendo quæ eam deſtruunt, & dando quæ roborant. Sed quoniam quæ conueniunt magis apparent percurrendo per ſex res non naturales, ad eas eſt deueniendum. Aer eſt maxime conſiderãdus in febribus, nono de ing. 14. ſed maxime in iſtis, quia eſt earum potiſsima cauſa, vt ex Hyp. de humana natura, & Galen. primo epid. commento primo clare

liquet,

liquet, si ergo pestis sit ex infectione aeris, videndum est an sit infectio ab influxu cœlesti, sicut volunt Medici, vel ab alia causa inferiori, vt ex putredine cadauerum, vel ex vaporibus eleuatis ex aliqua alia re putrida, si sit à causa superiori indifferẽter ferè omnes morbo corripiuntur, sicut in lib. de natura humana refert Hypp. vnde credo ꝙ multum sit difficile ei resistere, si vero sit à causa inferiori, tum est facilius, primo remouendo causam infectionis, si est possibile, deinde corrigendo infectum. Corrigendo autem, vel intendimus præseruare, vel iam laborantẽ curare, si volumus prę-seruare in tali correctione, vt dicit Galen. in de Ther. ad pis. debemus seruare quod dicit. Hyp. mutare scilicet aerem, quia pręsentem euitare non possumus, quòd si id fieri non possit, debemus præsentem corrigere, incendẽdo magnos ignes cum lignis & vnguentis odoratis, accipiendo quæ calida sunt, & sicca, vt ignem faciendo ex iunipero, cupresso, & lauro, ponendo post in ignem thus, ambram, moschum, costum, & similia quæ enumerat hic Auicen. Si vero sit actu æger, debemus alterare cum frigidis, & odoriferis, vt cum camphora, sandalis, rosis, corticib. granatorũ, Mirtho, Cydoniis, & similibus, semper curãdo vt aer inalteratus non occurrat, siue in præseruatione, siue in cura, quod si sit febris tantum ex infectione humorum, alterato aere, vel præseruando, vel curando, debemus curare vt pori stent aperti, vt calor naturalis euentetur, & à putredinali non corripiatur, primo de diff. febr. quarto, de cibo & potu Hyp. tertio, epid. dicit, quòd omnes ferè, in quos eo tempore incidit, fastidiebant cibũ, vnde Gal. in commento refert, quòd suo tempore hoc etiam euenit, & subiungit quòd fortissimi viri, qui sibi vim in tulerunt, & cibum sumpserunt, omnes ferè superstites

perstites fuerunt: reliqui mortui sunt. Curandum est igitur omni ingenio in hac febre in qua virtus prosternitur, vt cibum ægri sumant, non tamen in maxima quantitate, sed quantum conseruari potest virtus, & quoniam principalis ferè intentio est resistere venenositati. Ideo debemus semper admiscere aliqua acetosa, ut acetum, succum citri, agrestam &c. in potu vinum non conuenit ratione febris, si tamen maxime necessitas roborandæ virtutis vrgeat, forsan virtuti attendendo non esset malum, dare parum vini pauciferi, & siti vrgente, poterimus facere aquam coctam cũ rebus confortantibus, & venenositati resistentibus. In cæteris procedendum, vt dixi in cura causonidis. Vigiliæ, & somnus moderate conueniunt & quoniam sæpe cum istis febribus iunguntur continuæ vigiliæ, debemus applicare somnifera, vt tempore debito dormiant, non tamen debemus declinare multum ad aliquod horum, vigiliæ enim virtutem debilitant, somnus humiditatem (quæ nocet in isto casu,) generat. Motus si aer sit infectus, animo est fugiendus, quia in eo fit maior inspiratio, quòd si aer non sit infectus, debemus curare vt in declinatione, tempore debito, si sit possibile, moueatur, vt calor naturalis excitetur. Quantum ad inanitionem est procedendũ, sicuti in aliis putridis, curare scilicet vt omnes superfluitates excernãtur. Accidentia animi omnia immoderata fugienda sunt, quia virtutes prosternunt si tamen aliqua sint cũ lætitia, sint & moderata: hæc de sex rebus non naturalibus, quæ omnia hic in Medico explicuimus, vt quæ sunt illa, quæ indicatione sumpta à virtute cõueniunt, enarremus. Restat modo pro complemento curæ, vt ad ea quæ sunt exigenda ratione febris, & venenositatis deueniamus, febris ista aliquando non est multũ

in

intenſa, tertio epid.aliquando ſic, in lib.de euchymia ſi ſit non multum intenſa parum indicat, ſi multū, tunc poterimus applicare epithemata frigida cordi, aduertendum tamen ſi natura tunc expellit, ad partes cutaneas, eo caſu talia frigida non eſſent applicanda, non laudant Paulus, & Auic. potum aquæ frigidæ, & alia frigida, quæ in ſermone ſex rerum non naturalium, diximus. Veniendum eſt modo ad venenoſitatem. Venenoſitas quum ſit præternaturalis indicat, vt quod eſt venenoſum educatur, & quod eſt futurum, fieri prohibeatur, quod eſt factum educitur cum educentibus humores putridos, quod eſt futurum, cum reſiſtentibus venenoſitati. Gal.nono de ſimp.cap.de terra ſigil. in fine dicit, quòd in ea peſte, quæ ſuis euenit temporibus ſimilis ei de qua Thucid.loquutus eſt, permulti ſanati ſunt ex aſſumptione boli armeni. Debemus dicit Galen. ſi non adſit febris, vel pauca dare cum vino albo tenui modice diluto, quod ſi adſit febris intenſa, cum magis aquoſo, poterimus ſic ſecure dare vnc. 4.aquæ roſatæ vnc.2.vini albi, vnc.1.boli armeni, medicamentum illud ex myrrha, aloe, croco vel armoniaco valet, & quia humores putridos educit, & quia exiccando, venenoſitati reſiſtit. Gal.in lib.de Theriaca ad Piſ. dicit theriacam calorem naturalem roborare, & venenoſitati reſiſtere, vnde in caſu iſto, ſi eam bonam haberemus maxime cōueniret, & Mithridatum. Laudatur betonica, cichorea, termentilla, & ſic intentione ſumpta à venenoſitate, poſſumus vti rebus ſiccis, ſtipticis, & acetoſis, & ſic ratione diuerſarum intentionum diuerſas poterimus admiſcere medicinas, vt in proceſſu ægritudinis, quoniam eſt intentio incidendi aperiendi, ratione putredinis, reſiſtendi venenoſitati, ratione venenoſitatis. Poterimus vti ſyru-

pis

pis accipiendo ſyrupos, & aquas incidentes, & aperientes & venenoſitati reſiſtentes, vt addendo ſyrupos iā dictos in aliis febribus qui incidunt,& aperiunt ſed moderate, vt ſyrupum de ſucco acetoſæ, de ſucco bugloſſe, vel de acetoſitate citri, pro aquis, ſumendo aquam bugloſſæ, boraginis, cichoreæ,ſi volumus vti decoctionibus cum herbis, & rabicibus incidentibus, & apperientibus ponemus bolum armenum, terram ſigillatam, cortices citri, & eorum ſemina,acetum,boraginem bugloſſam, cichoream, & ſimilia, ſic procedendo ſi natura vincit morbum, & tentat, aliquam expulſionem tempore debito, quam tamen non posſit in totum perficere in declinatione ſi virtus conſtabit,poterimus dare aliquod pharmacum fortius educens materiam peccantem, poſt cum confortantibus,cum reſiſtentibus venenoſitati erit procedendum vſque ad perfectam ſecuritatem,& ſanitatem acquiſitam,poſt cum debitis exercitiis niſi infectus ſit aer tenendo poros apertos, & euacuando vt calor naturalis euentetur, prohibebimus ne alia putredo, & venenoſitas generetur. Reſtat modo vt de accidentium correctione dicamus. Iſtam febrem, vt dixi ſequuntur phrenitis, dyſentiricæ, carbunculi &c. quæ dicta ſunt, loquendo de ſignis. Sed horum cura eſt in propriis curis explicanda, tantum eſt aduertendum quòd quando ſequuntur febrem peſtilentialem, ſunt cum maiori malitia,& vt plurimum deducunt ad mortem,& quod dicitur de iſtis,etiam eſt dictum de variolis, & morbillis,quæ ſunt expulſiones febris ſanguineæ. Ideo ſicuti aliorum ſymptomatum, non ponitur particularis cura,ideo Galen. loquendo de febribus de earum cura loquens,non meminit. Quare,& nos,qui omnia hæc ferè à Galen.extrahimus febris tantum curam explicantes

cantes

cantes, variolarum, & morbillorum curam pertransibimus.

De Cura Febrium Compositarum.

Febrium quædam simplices, quædam compositæ sunt, secundo de Crisi. nono, simplices sunt, quando vnius tantum signa apparent. Compositæ vero quando plurima signa apparent, vel æqualiter vel alterius eorum signis præterualentibus, secundo de Crisi. 12. Duobus autem modis componuntur febres, vel complicate, vel confuse secundo de Crisi. septimo, complicate, quando diuersa hora inuadunt, confuse, quando eadem hora secundo de diff. febr. septimo. Cōponuntur autem vel quæ sine inflammatione sunt, cum illis, quæ ab alicuius membri inflammatione procedunt, & inter eas quæ ab inflāmatione sunt simul cum his quæ sunt à diuersitate loci apostematis, & de earum cōpositione habetur secundo de Crisi. decimo sed de febribus apostematum non est præsens sermo. Quæ autē sunt sine inflammatione, complicantur simul quæ sunt eiusdem generis, vel diuersæ, vel eiusdem speciei secūdo de Crisi. septimo, & aliquando plures simul complicantur tres tertianę, secundo de Crisi. nono, tres quartanæ secundo, de Crisi. septimo, & sunt eiusdem speciei. Complicatur simul tertiana cum quotidiana, secundo de Crisi. septimo, & sunt eiusdem generis, diuersæ vero speciei, & quando horum quædam sunt interpositæ, quædam continuæ, secundo de diff. febr. vltimo complicantur continuæ cum interpositis, vt tertiana continua cum tertiana interpollata, quæ sunt eiusdē speciei, & tertiana interpollata, cum quotidiana cōtinua, quæ sunt diuersæ speciei, secundo de Crisi. nono.

nono. Item interpollatum simul diuersarum specierum, vel eiusdem speciei, vt tertiana interpollata, cum quotidiana interpollata, secũdo de diff. febr. septimo, vel tertiana interpollata, cum quotidiana continua, secundo de Crisi. nono, vel duæ continuæ simul, vt tertiana continua, cum quotidiana, secundo de diff. febr. 8. & secundo de Crisi. nono. Et quando dicitur, quòd continuæ simul copulantur, intelligendum est non de vniformibus, quarum putredo est in toto, vel in vasis magnis, ideo dicitur, quòd duæ complicari non possunt, copulantur quoque diuersi generis, vt putrida cum hectica primo de differẽ. febr. decimo, & istæ sunt diuersi generis proximi, febres istas compositas difficilius est cognoscere, q̃ simplices, maxime in prima die, secundo de Crisi. nono, oportet ergo primo cognoscere naturam simplicium, secundo de Crisi. septimo, & post exercitatus Medicus aliquando in prima die, sed si non in prima, saltem in secunda, vel tertia vel ad plus in quarta cognoscet naturam compositarum, secundo de Crisi. nono, ipsas autem, vel oportet iudicare ex modo periodicandi, secundo de diff. febr. septimo, siue ex modo inuadendi, secundo de Crisi. nono. Quoniam igitur erunt duæ diuersæ febres, vel plures distinctæ simul, si in diuersis horis inuadunt cõfuse in ea hora apparebunt signa principii earum febrium, & sic de aliis temporibus. Qui ergo habet exacte signa febrium simplicium, si ei occurant aliquæ cõpositæ, non cum difficultate eas cognoscet, secundo de Crisi. nono, Sicuti autem signa febrium compositarum simul complicantur, ita etiam intentiones curatiuæ, & sicuti si vna præualuerit, eius signa magis apparent, alterius signis non omnino occultis: si autẽ æqualiter miscentur, æqualiter ambarum signa apparent, aliquan-

aliquando autem fortiores, & intenſiores ſecundo de diff. febr. octauo, ita in cura, ſi vna præualet, magis ei attendere debemus, altera non neglecta. Si vero ęqua les ſint, æqualiter vtriuſque cura habenda eſt. Poterimus ergo cognita natura febrium compoſitarum ex ſignis ſimplicium, quæ omnia adducta fuerunt in propriis curis, curare eas per intentiones dictas in curis ſimplicium, & vti remediis complicatis, primo Aph. 16. Ad ea ergo quæ dicta ſunt de curis ſimplicium, eſt recurrendum, verum vt compoſitarum cura magis pa teat, adducemus curam hemitritei, ſicuti omnes faciunt doctores, quia magis eſt cum periculo, & ſæpius euenit.

De cura Hemitritęi.

Febres Tertianæ, cum quotidiana quatuor modis complicantur ſecundo de diff. febr. ſeptimo, ſecundo de Criſi. 9. Nam vel ambæ ſunt continuæ, vel ambæ interpollatæ, vel tertiana continua cum quotidiana in terpollata, vel tertiana interpollata cum quotidiana continua. Quando autem ſimul iungitur tertiana interpollata cum quotidiana continua, tunc ſecundum Galen. fit hemitritæus, nō quia ſit media tertiana, ſed quia pro medietate eſt tertiana, ſicut dicitur ſemideus qui pro medietate eſt deus, ſecundo de diff. febr. ſepti mo, vel dicitur hemitritheus, primo epid. commento tertio, quia non omnia habet accidentia tertianæ, non enim ad perfectam terminatur infebricitationem, non incipit cum rigore, non terminatur cum excretione, nec diem ſecundum habet integrum, fit autem duobus modis, vel incipientibus febribus ſimplicibus in diuer ſis horis vna anticipiante alteram, non ſic quòd vtraq;

in vno paroxyſmo, ſimul inuadunt, ſicuti eſt in exemplo illius iuuenis, de quo Galen. ſecundo de diff. febr. ſeptimo, vel ſit ambobus febribus ſemper ſimul inuadẽtibus, & in acceſſione ſemper apparent ſigna vtriuſque febris. Iccirco quoniam propè hemitrithæus ſit quando ſimul inuadat ambæ febres, & in primo tantũ ſit vna acceſſio, in qua ſimul inuadunt, in ſecundo, plures, ideo ſecũdo modo proprie dicitur hemitrithæus, ſecundo de diff. febr. ſeptimo, poſſunt autem iſtæ febres ſic ſimul complicari, quòd cholera ſuperabũdet, & tunc magis apparent ſigna choleræ, vel pituita, & tunc magis pituitæ, vel æqualiter miſcentur, & tunc æqualiter ambarum ſigna conſpicimus, & ſemper dicitur hemitrithæus, proprie, tamen eſt hemitrithæus, quando æqualis eſt mixtio, ſecundo, de diff. febr. octauo, eſt ergo hemitrithæus proprie febris compoſita ex tertiana interpoſita, & quotidiana continua, quando eodem tẽpore inuadit tertiana ſignis, quo, & quotidiana, non magis apparentibus vnius, eo paroxyſmo, quam alterius, & eſt illa febris de qua Hypp. primo epid. ſectione prima, & ſecunda loquitur, quando dicit, inuadebant febres continuæ quæ magis vno die affligebant: aduenit autem dicit Auice. corpori, quod vſum fuerit diæta generante pituitam, vel contra, eius ſigna ſunt dicit Galen. ſecundo de diff. feb. octauo, quæ ponit primo epid. ſectione prima, & ſecunda, & ſunt quòd eſt febris horrifica, ideſt quæ non habet horrores, tantum in principio, ſed durantes per maiorẽ partem acceſſionis, dicit Galen. primo de diff. febr. octauo, & per maiorem partem augumenti, dicit Gal. primo epid. ſectione ſecunda, eſtq; non intermittens, vna die grauior, alia leuior, in dies acutior inuadens, dicit Hypp. primo, epid. ſectione prima, tales febres ſunt violen-

violentisſimæ, longisſimæ, & laborioſisſimæ, leues à principio, & increſcentes, & quanto diebus decretoriis accedentes, tanto deteriores, aliquando remittũt, & poſt peiores redduntur, dicit Hypp. primo epid. ſectione ſecunda. Rigores habent inordinatos, ſecundum quòd cholera inualeſcit, etiam videtur tendere ad ſummum, poſt vincente pituita extrema refrigerantur, horrores veniunt ſummisſiores, & cutis refrigeratur, ſic vt videatur noua accesſio. Iterum vincente cholera calor augetur, & caloris accidentia: vincẽte autem pituita, eius ſigna quoque vincunt, & ſic iſta inæqualitas vſque ad ſtatum durat, ſtatus aduenit citius quam in pura quotidiana, tardius quã in pura tertiana, ſecundo de diff. febr. octauo, & ſic tandem ſimul commixta apparent ſigna pituitæ, & choleræ, eſt præterea lethalis iſta febris, aduenĩẽs his qui longis morbis laborant, dicit Hyppo. primo epid. ſectione tertia. Veniendum eſt modo ad curam, Gal. primo. Aph. 16. dicebat, ſimplices ægritudines, ſimplicibus ægere curationibus quòd ſi compoſitæ ſunt, tantum curatiuæ ſunt miſcendæ indicationes, quantum commixtæ ſunt quòd ſi æqualiter mixtæ ſunt ægritudines, ægritudines, æqualibus vtendum eſt remediis, & vtranque ægritudinem reſpicientibus, quòd ſi vna ſuperat, ei eſt attendendum, altera non neglecta, febris igitur iſta eſt compoſita ex duabus, ex phlegmatica ſcilicet, & cholerica. In cura igitur debemus miſcere intentiones, quòd ſi æquales ſint, æqualiter vtendum eſt dictis in cura quotidianæ, & tertianæ, ſi pituita magis, his quæ dicta ſunt in cura quotidianæ, altera non neglecta. Ideo vt ex Paulo colligitur, ferè eſſet ſuperfluum omnia medicamenta, quæ ibi fuere adducta, recenſere, maxime quòd iſta ęgritudo ferè eodem modo

curatur,quo & tertiana notha. Ideo & ego remedia non repetens, tamen per vniuersalia percurrés,ordiné medicinarum recensebo. Primo igitur si, quando incipit febris, sint fæces retentæ in intestinis, ordinabimus clysterem, & si sunt aliquæ cruditates in stomacho, lenitiuum in sequenti mane, in sero postea, si virtus sit fortis, & ætas patiatur curabimus, vt mittatur sanguis in pauca quantitate, propter nimiam abundantiam aliorum humorum,qui rationabiliter in laborante tali ægritudine reperiuntur,post si natura tentet vomitum,poterimus vti leuibus vomitiuis,& forsan exhibendo vomitiuum, non erit necessarium lenitiuum, forsan oportebit vtroque vti,post erit accedendum ad digestiua,prouocantia vrinam, & sudorem & apertis vii s,resectis humoribus, apparentibus signis completæ digestionis,si natura ipsa non euacuat, vel imperfecte, dabimus pharmacum, quod educat choleram, & & phlegma. Demum rectificando membra principalia, si aliqua sint læsa, corrigendo accidentia, si aliqua adsint notabilia,ordinabimus regimen in sex rebus nõ naturalibus, sicuti ordinauimus in cura tertianæ nothę,semper tamen habebimus maiorem curam de hemitrithæo quàm de aliis,quũ sit lethalis,nec sine periculo.Materiam medicinarum & ciborum,habes in cura tertianæ puræ,in cura tertianę nothę & in cura quotidianæ, quæ omnia miscebis secundum magis & minus,vt dominium peccantis humoris exigit, & hæc pro cura hemitritæi,& omnium febrium sufficiant.

Fran-

FRANCISCI CASSANI TAVRINATIS

Quæstio

De missione sanguinis in morbo laterali.

EXPOSITVRVS sanguinis missioné in pleuritide hac ratione mihi procedendum persuasi, ne huiusce rei confusio lectorũ animos interturbaret. Principio igitur ex hypotesi pronunciata præmittam, ex Galeno non quidem detorta; sed ita ex proposito desumpta, vt non nisi ab mentis penitus insano negari non possent, quæque ad causam nostram aperiendam maximè conducent. Alterum, quod me declaraturum polliceor est, quæ nam mens fuerit Galeni in hoc quæsito omnes quoque hic qui solent fieri cauillos pro posse diuellam, tertio rationibus autorumque dictis, quæ in contrarium facere videntur, examussim respondebo. In limine igitur quæstionis nostræ præmitto, quòd ad flegmonem faciendam exigitur, vt membra, à quantitate vel malitia materiæi aggrauata ad alia membra sanguinem propellant. Ita sanè quòd ad imbecilliora, ea quæ fortiora

ſunt membra, demandant, rurſuſque viciſſim ita fit, quoad materia ad membrũ debiliſſimum tranſmiſſa ſit, imbecilliſſimum ſi quidem omnium membrorum, vel facilimè tãdem aliorum fluxionem ſuſcipit, quum aliò iam transferi non poſſit. Huius ordinem ſcribit Gal.2.ad Glauc. & in artis medicinalis libro.cap.95. & rurſus 10. de ing. 6. longè tamen clarius in libello de inæquali intemperatura diſt.2.c.1.in quo Galenus rem exemplo iucundiſſimè proponit. Fiat, inquit, gratia exempli, in muſculo flegmon. prius magnæ tum venæ, tum arteriæ, deinde maiores opplentur: ſucceſſiueque id fit, donec ad minimas quæ etiam & ipſæ replentur deuentum eſt, ad eas inquã minimas, quę prius non conſpiciebantur. veluti in oculorum flegmone: quò tandem oppletæ venulæ ad extra ſanguinẽ tranſfundunt, partim per earum ipſarum oſcula, partim quia reſudat, & ſanguis ille in membrorum vacuitatibus, ideſt poroſitatibus recipitur. Declarat inſuper, quæ ſint illa membra, nempè ſicut nerui, ligamenta, membranæ, & id generis. Hac hypotheſi propoſita rem ipſam aggredior. Affirmareque non erubeſco in principio pleuritidis, ſanguinem ex eadem lateris dolentis parte eſſe mittendum, ex vena nimirum baſilica eiuſdem lateris, verùm quia ab innumeris iam hæc eſt exagitata quæſtio, ne nos gratis quorundam refellere opinionem exiſtimetis, primo ratione ſecundo Hippocratis, Galeni, Oribaſii, & Pauli autoritatibus opinionem noſtram confirmabimus.

In primis itaque dixerim pleuritim in principio eſſe ægritudinem partim factam, partim quæ fit, quoniã eſt ęgritudo & apoſtema à ſui pincipio, taleque inquit Gale.lib.de 4.temp.morb.2.partim fiens, & futurum partim, at quum ægritudo tum facta exiſtit, tum futu-

ra

ra est, huic inquam ægritudini conuenit curatio, qua simul & semel vtrique satisfaciamus intentioni, si tamen id commodè fieri possit, quod & liquido apparet per Gal. in arte medicinali,& 13.de ing.distin.2.cap. 3. sed in hac pleuritide inchoante, vtrique intentioni occurrẽdum est,quod perbellè fiet per sanguinis missionem, ex eadem dolẽtis parte secta vena, ergo quòd hiis duabus intentionibus per hanc sanguinis detractionem faciamus satis, probo, euacuo siquidem sanguinis partem superfluentem, & membra exinanio, quæ inanita quod residuum est, nedum pro se retinẽt: verùm trahunt aliunde,maiores itaque venæ à minoribus sugunt, sanguis proinde,qui in locum apostematis confluxerat,ab aliis venis retrahitur,hacque ratione & iam factæ succurritur,& quæ futuræ fuerat ægritudini,verum duo mihi probanda super sunt,primum, quòd per euacuationem vel flobotomiam ex eodem latere futuram,& factam amoueam ægritudinem:primum sic probo, supponebatur enim quòd fieret flegmon ex aliorum membrorum transmissione ob multitudinem: vel malitiam, at ex basilica eiusdem lateris euacuatio superabundantem in toto quantitatem euacuat, quod ex Gal.in 2.reg.acut. 10.probo,dicente flobotomiam ex quauis vena à toto euacuat, licet ab vna immediatius: ab alia tardius, missione igitur sanguinis ex ea vena sanguinis multitudinem vel malitiam, vnde membra ad expellendum irritabantur, euacuo. Rursus quod à loco læso euacuet,probo,vena etenim vacuata aliunde trahit, sed venæ aliæ fortiores retinent, minus fortes vincuntur, quod ex hypothesi patuit,ergo &c. cum hoc etiam accidit expulsiua virtus ipsius partis læsæ,ergo. Han responsionem virtualiter,licet non ad verbum,habet Hipp.2.reg.acut.

Confirmo

10. præsertim si adiunxeris quod & ipse dicit in 4. eiusdem 69. quod & manifestum est ex Galeni commentatione vtroque in loco, verùm ne refractariis & contumacibus aliquod relinquatur confugium, Hyppocratis verba exponamus. Inquit ille, si dolor ad furculam ascenderit, adeo vt vel brachio, vel mammæ, vel partibus superioribus molesta sit grauitas, internã cubiti venam secare expedit, his adde, quæ in 65. venam brachii internam, qua dolor afficit parte secabis sed reuertamur ad 11. secundi reg. acut. in quo inquit, si quæ sub sepio transuerso partes sunt, à dolore infestentur. nec ascendat vsque ad clauiculam. tunc nigro veratro vtere &c. Gal. in cõmento ita scribit. Quum igitur superiorum condolentia signum fecerit, tunc venam in cubito eam secare oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis, & velocius tum reuellere, tum euacuare possit: Quibus etiam verbis appone, quæ & ipse scribit in commen. 69. vnde habetur nostra ratio iam clarè exposita, verum vt clarius res cognoscatur, Hyppo. sensum, qui alioqui adeo apertus est, vt expositione nostra minimè indigeat, rursus declarabo. Intendit ergo Hypp. quod dum fit flegmon pleuritidis, & in superiore parte, id quod manifestum euadit per brachii grauitatem, & dolorem in furcula, tunc confestim per sanguinis missionem ex eadẽ parte succurrendum est, sanguinem quidem superabundantem imminuemus, & eum quoque, qui iam effusus est, sanguinem retrahemus, atque hoc pacto corpus vniuersum inaniemus. Subinferebat proinde Hypp. quod detrahendus erat sanguis ad coloris vsque mutationem, & in lib. 4. dicebat ad animi vsque defectum, mittitur inquam sanguis ad coloris mutationem, vt probè dicit Gale. non alia causa, nisi vt membra inaniantur, id autem

tem

tem cognoſcere licet ex mutatione coloris ſanguinis prorumpentis, membra tunc circunuicina ita inanita à loco apoſtemoſo trahunt. Si dolor, ſubſcribit, deſcendat ad Hyppochondria, non mittatur ſanguis, ſed exhibeatur pharmacum, quoniam ſigno nobis eſt, materiam eſſe in inferioribus coſtis, neque ab illis ex baſilica ſectio tantam quantitatem, vt ſubtrahat, poteſt euacuare, prius enim ſanguis totus, è, corde educeretur. Idcirco hoc in caſu non ita confert, ſicuti in priore. At huic noſtræ rationi duo ſunt, quæ negotium faceſce poſſunt, primum quòd Hyppo. loquebatur poſt principium, quod tamen falſum eſſe conſtat ex Gal. in principio commenti dicente, Hyppo. obſeruare eam regulam, vndecunque natura repit &c. Cum igitur videat ſanguinem ad ſuperiora prorepere, vt motum naturæ inſequatur, per ſuperiora euacuat. Quòd ſi Hypp. ipſe intellexiſſet exacto principio, & iam fluxa (vt inquiunt) materia, vt quid Galen. dixiſſet Hyppo. motum naturæ imitari? imò oppoſitum feciſſet, ſi in oppoſita parte euacuaſſet. In anaxione præterea non conſtat, quòd Hyp. ſanguinem niſi ſemel miſſerit. Nũc quero, an ex oppoſito latere, an ex eadem parte, ſi vltimum, ergo contra te, ſi ex oppoſito, ergo non obſeruauit quem præſcripſit canonem, quia per te vult quod mittatur ex oppoſito, ſecundo reiteretur ex eodem, ſed non fecit in Anaxione, ergo aliter Hypp. operatus fuit, quàm nobis ſcriptum reliquerit, obiicies, fortè quod non reiterauit, quoniam vires erant debiles, ergo ægritudo fuit ſatis longa, ſed ægritudo longa cum virtute debili eſt mortalis, tertio criſ. 5. dices quòd nimium miſerat prima vice, contra, quia dicit Hyp. quòd miſit quantum debuit, eſſet præterea facere Hypp rudem, qui non ſciret quantum ſanguinis mitti deberet,

secundum obstaculum potest esse, quia dicent quod materia quæ facit apostema, non potest denuo intra venas redire, sed contra. Galen. in 4. de tuen. sanit. dicit, quòd si fuerit ægritudo flegmonosa debet Medicus mittere sanguinem, & euacuare venas, mox debet reiterare, cuius causam adfert ipse Galen. quia venæ inanitæ trahunt superfluitates existentes in partibus musculorum ad se, & in reiteratione educentur, ergo venæ inanitæ sugunt de eo quod est in porositatibus membrorum. Item 4. reg. acut. 1. venæ inanitæ trahunt icores. Item 3. virt. natural. 13. materia in partibus cutaneis existens trahitur ad venas, & sic habetis meam primam rationem. secunda ratio, quod materia, quæ peccat qualitate, expellitur à membris, & expellitur de parte ad partem, & sic tandem donec sit ventum ad postremum debilium. Tunc sit si materia peccat qualitate, debet educi quàm celerius est possibile, nec debet illa materia mala remitti ad alia membra, sed à Medico euacuari, sed euacuando ab eadem parte educitur illa materia, quæ est illuc transmissa, & euacuando à parte opposita, euacuatur materia bona, & mala trahitur ad locum alium non apostematum. Istam rationem innuebat Gal. 2. reg. acut. 10. dum dicebat, quòd Hypp. immitatur naturam, imò obseruat suam regulam, vndecunque natura repit &c. Sed dices quòd illa non est conueniens regio, imò est conueniens regio ad euacuationé per quam educitur materia, non transeundo per membrum principale, nec inferendum nocumentum alicui alio membro notabili, sed sic in proposito, quia euacuando eam materiam per partem & basilicam dextram, via est satis ampla, & nullum oblæditur princeps membrum, & insequimur motum naturæ, ergo est conueniens regio, & sic habetis

habetis secundã rationem autoritatibus mox est agen dum, sed per autoritates ne fiat confusio, intendo hic probare, primo quòd Medicus rectè operando debet diuertere materiam fluentem, vel reuellere per locum directissimum ipsi loco, ad quem fluit materia, secundo quod debet reuellere per partem habentem communicantiam cum illo membro, ad quod fluit, tertio quòd debet reuellere siue deriuare per locum non immediatum ipsi loco patiẽti, sed per locum proximum, & quòd diuersio per loca distantia nullum adfert iuua mentum, vel si affert, tarde, ex quibus apparet quomodo debet ex eadem parte mitti sanguis, & non ex opposita. primum probo sic Gale. in 5. de ing. 3. dum loquitur de retentione sanguinis fluentis ex vulnere, postquam declarauit, quòd sanguis retinetur per escaram factam, declarat quomodo etiam deriuatione, & reuulsione, tunc ponit differentiam inter deriuationẽ, & reuulsionem, & dicit quòd deriuatio fit ex partibus proximis, & exemplificat de defluxione ex palato, quæ ad nares deriuatur. Reuulsio verò fit ad contraria, vt fluentibus mensibus, nos reuelimus per vomitum. Istud dicit fuisse de mente Hypp. & per multa exempla id probat, vultuq; tandem, quòd ista reuulsio fiat ad contraria, & fiat per partem rectam correspondentem parti, per quam fit fluxio, quod exemplo sanguinis ex naribus fluentis probat, vt si fluat sanguis e nare dextra, affligi debet cucurbitula in hypocõdrio dextro, & è contra fluente ex sinistra, quòd si applicatio ventosæ non sufficiat tunc veniendum est ad sanguinis missionem, & dicit quòd si vires non fuerint imbecilles, tunc debet sanguis mitti ex vena, quæ de directo profusioni respondet, subinfert, quòd omnes reliquas profusiones tum ad contraria reuocabis, tum

ad vicina deriuabis. Ecce ergo qualiter secundum Galenum omnis deriuatio vel reuulsio debet esse secundum directum loco patienti, sed dicet aliquis vt in casu nostro, quòd pars opposita est directa loco patienti: vt si fluat sanguis è nare dextra, sitque pleuresis in latere dextro. Locus sibi directus erit locus sinister, sed contra quia Galen. explicat seipsum, quia de nare dextra fluēte sanguine, mittit sanguinem ecubito dextro, & applicat ventosam hypochōdrio dextro. Praeterea Gal. in tertio de tuēda sanitate loquēs de frictionibus quomodo fiāt secūdū rectū vel trāsuersum dicit ꝙ rectū vel trāsuersum sumuntur penes villos, vel fibras musculorū. Idē dicit in de motu musculorū, sed fibrę lateris dextri nullā habēt cōmunicātiā cū latere sinistro in rectitudine, sed vena lateris dextri continuatur cum vena caua per villos proprios, & villos longitudinales, ergo pars dextra debet dici recta parti dextrae, non sinistrae. Praeterea Gal. secundo ad Glauc. post curam carbunculi loquens de intentionibus habendis in cura inflammationum, dicit, quòd fluentium humorum retractatio fit per communes venas, si verò iam membrum obsederint, deriuatio fiat vtraque istarum, scilicet deriuatio & retractatio fit secundū Hyppo. per communes venas, & exemplificat de profluuio mulieris, quomodo debemus & reuellere, vel deriuare per communes venas, subinfert, quòd si in parte dextra fuerit locus passionis, à dextra manu, vel crure dextro sanguinē detrahes, si verò in sinistra, tūc detrahes sanguinem à membris, quae illi ex directo sunt. Quod enim ab ipso catexis dicitur, significat, dicit, secundum rectitudinem. Hic nihil immoror in explicando cata potest construi cum genitiuo, vel datiuo, quia vtrunque construas, verba Galen. sunt adeo

clara;

clara; vt non posfint tergiuersari, subiungit Gal. quòd viciniores venas oportet incidere, & aducit causam huius rei, & dicit, quòd iste sunt viciniores secundum directum loco patienti, & vt rem omnem melius pandat, exemplificat de inflammatione splenis, quòd debet Medicus eo flegminante mittere sanguinem ex latere sinistro, è contra hepate flegminante ex latere dextro, & applicat regulam vniuersalem, ꝙ patientibus mēbris extremis debetà cōiunctis fieri euacuatio, siue velis deriuare siue velis retrahere, sed dices quod Galenus intelligit, ꝙ ista fiant post principium, postquam materia est fluxa. Contra Galen in eadem parte loquens de sinanche, dicit, quòd debet primo mitti sanguis ex vena cōiuncta secundum directum, post debet fieri ex loco ipso, sed quia in sinanche non possumus attingere locum ipsum, euacuamus per venas sub lingua, ergo prima quæ fit secundum eum in directo latere, debet fieri in principio. Iam ergo habentur duo ex dictis probata. Restat tertium probandum ex Galeno in libro de sang. missio. distinct. 2. sum. 2. cap. 1. dicit enim Galenus authoritate Hyppocratis, quòd. Quibuscunque cataxin, eruptio sanguinis, euenit. hoc iuuat è contra autem nihil iuuat, vel interdum nocet. Cuius rationem & quare aliquādo noceat, ipse affert, quia vires corporis citra leuamen ægritudinis deiicit, quod probat suo vsitato exemplo, sanguis effluens turgente liene, à nare dextra nihil proderit, & vice versa in hepate effluēte è nare sinistra, & ita reuulsionis causa si venam secueris in oppositis sanguinis eruptionibus, citissime conspicuam habebis vtilitatem, at si contra secabis, nihil profueris, & ad probandum quòd sit necesse in reuulsionibus quòd vena ex qua mittitur sanguis communicet cum loco petiente, & quanto maior

&

& directior fuerit communicantia, tanto commodior fuerit, dicit quod non æque prodeſt in liene affecto, ſi mittatur ſanguis ex vena digiti medii, & venæ cubiti ſiniſtri, quia etſi vtraque vena ſit ſiniſtra, quia tamen vena cubiti eſt proximior & directior. Ideo magis conuenit. Poſt pauca ſubinfert Galenus, quòd etiam in pleureticis ſanguinis miſsionem ex vena quæ eſt ſecundum directum lateris patientis clarisſimam ſæpe vtilitatẽ attuliſſe, quæ verò fuit facta ex latere & brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum. Dicunt aliqui quòd per poſt temporis interuallum intelligit Galenus poſt principium, quaſi velit dicere, quod flobotomia in pleuritide ex eodem brachio poſt principium iuuat maximè, ſed iſta expoſitio non poteſt ſtare, cum hoc quod diſtorquet literam vt patet legenti, cum hoc etiam eſt falſa, vt apparet ex his, quæ ſubiungit Galenus in eodem loco, quia vult, quòd reiteretur eadem die aliquã do, aliquando poſt per diem, ſed poſt principium non eſt reiteranda bis & ter ſanguinis miſsio etiam ſecundum illos ſic exponentes, ergo Gallenus non intelligit de ſanguinis miſsione poſt principium. Præterea inde conſt. art. med. decimonono, dum ponit intentiones curatiuas flegmonis, dicit, quòd prima intentio eſt euacuatio humoris fluentis in partem inflammatã: quomodo autem debeat adminiſtrari, apparet ex ſitu partium, quia ſi influat ſanguis in coxam, debet tunc mitti ſanguis ex vena poplitis, & ita fluentibus menſibus ex vena poplitis, quòd ſi influant humores in pulmonem, vel thoracem, per internam cubiti venam euacuationem demoliemur, & ſanguinem ſubtrahemus. Subinfert Galen. quòd optima & facilima euacuatio eſt, quæ per proximas & affectæ partis

com-

communes venas fit, sed dices, quod Galen.per interiorem venam intelligit venam cruris ex eadem parte, vt existente pleuritide in latere dextro, mitti debet sanguis ex vena poplitis dextri,& ita illam appellat interiorem,sed cum hoc quod ista expositio nō conuenit illi textui,est etiam contra Galenum,quia vt per eum, sexto aphorismorum 36. apparet, & secundo ad Glauconem,& 13.de ing.distinct.secunda cap.3.existente apostemate in parte superiori, mitti debet perpetuo sanguis ex vena cubiti. Si vero fuerit in partibus inferioribus, debet mitti de vena poplitis, vt si fuerit apostema in vtreo, in vesica &c. Ex directo ergo secundum superius & inferius debet sanguis mitti ex vena correspondente. Ita etiam Galenus 13. de ing.distin.3.cap.5. post multa dicit, quod debet Medicus inhepate, & pulmone flegmonem patientibus emittere sauguinem ex vena directa secundum partes superiores, & ita in sinanche debet primo tundi vena manus,per manum non intelligas eam in qua sunt digiti, vt videntur plerique tenere, quia quandocunque apud Galenum inuenitur manus absolute, intelligit vlnam, quia vt seipsum declararat in tertio anatomicarum aggressionum,manus est duplex, vna quæ dicitur simpliciter manus, & incipit ab articulo scapulæ, & terminatur ad brachiale,altera est manus, quæ dicitur extrema, & ea diuiditur in quinque digitos, & incipit à brachiale, vult ergo Galenus quòd incipiente flegmone in sinanche ex vena brachii lateris correspondentis mittatur sanguis,& in apostematibus mēbrorum superiorum vult quòd mittatur sanguis ex venis brachii, sicut etiam in de sang. miss. & 6. aphorismorum 36.contra Auicenam, qui vult quod incipiamus à vena malleoli.Post Galenum est Oribasius qui

lo-

loquens de vena fcindenda fecundum Galenum dicit, quòd mens Galeni fuit, quod in pleuritide mitteretur fanguis ex eadem parte, ex latere videlicet affecto. Paulus quoque Aegineta non in capite de pleuri tide, quia nihil de eo negotio pertractat,fed in lib. 1. cap.40.dicit, quod fi fuerit dolor in aliqua parte ftanteſ plenitudine, debet Medicus mittere fanguinem ex vena magna, quæ erit proximior loco patienti. Quod eft omnino contra Rafim.qui vult,quòd fi fit plenitudo fiat primo fanguinis misfio ex oppofita parte,fi nõ fit plenitudo fiat in eadem parte, è contra iubet Paulus,cuius ratio potuit fuiffe prima, quam nos adduximus. Et ita apparet ex his quatuor, quòd in pleuritide debet mitti fanguis ex eadem parte. Quid autem fenferit Auicenna, & Rafis non eft nobis curæ, fatis eft,quòd clarè defficiunt à Galeno. Reftat modo fatisfacere obiectionibus, & primo eft authoritas Galeni 4. de ing.6.vbi dicit, quòd fi aliqua fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria ftudebimus, vtique fi fuerit in fuperioribus vlcus per inferna purgantes: fi autem fuerit in inferioribus per fuperiorem ventrẽ purgabis,at fi iã fluxio reftitit &c. ergo fequitur quod reuulfio debet fieri ad diftantia,non ad proxima. Refpondeo, quod reuulfio debet fieri & poteft multis ingeniis,& pharmaco purgante, & ligamentis, & frictionibus, vt apparet 5.de ing.3.tũc dico,quòd in flegmone non poffunt fieri reuulfiones omnibus iftis ingeniis, fed debet Medicus fuccurrere optimo ingenio & citius fuccurrente,iuxta illud,extremis morbis extreme exquifite remedia,in fimili dicebat Galen. in eo capite quòd flobotomia excufatur aliquando iis ingeniis, fi fuerit homo fanus, vt inedia; alui purgatione, multa frictione,exercitio,balneo,verum in 13. eiufdẽ di-

distinct. 2 .cap.3 .dicit, quod in febricitante non licet vti illis suplentibus vices flobotomie. Ita in proposito dico, quod nos debemus vti reuulsione, sed cum sanguinis missione, non cum pharmacia, & illa quæ fit cum flobotomia, fieri potest ex parte recta proxima habente colligãtiam cum parte læsa, quia nullum imminet periculum ex ea, sed non debet fieri cum pharmaco ad partem proximam: quia vt dicit Gal. 13.de ing.dist.3.cap.5 .Medicus reuellendo cum pharmaco inflammat, & calfacit, & facit fluere ad locum læsum ipsam materiam. Ideo vbi contingit reuulsio à medico operanda, non debet eam facere existente parte læsa proxima viis ductũ, quia inflammatur ea pars. Ideo magis læderetur. Ista est causa, quare Galen. loquens de reuulsione cum pharmaco vel ligaturis, dicit non debere fieri nisi in parte remota. Ita etiam debent intelligi verba Galen. 13.de ing. distin.2. cap. 5. Secunda difficultas est, quod Galen. & Hyp. 4. aphoris.68. loquentes de auersione, dicunt, quod auersio fit ad contraria, vt secundum longitudinem, supra infráque, secundum latitudinem à dextris in sinistris, secundum profundum ante & retro, modo in isto casu debet fieri auersio secundum latus, ergo à dextris in sinistris, ergo non debet fieri flobotomia in eadem parte. Respondeo, quod diuersio est ad oppositum, sed non ad extreme oppositum, sed sufficit quod diuersio fiat per contrarium motum, vt si materia fluebat ad dextrum, quòd ego faciam eam fluere ad sinistrum, quod facio mittendo sanguinem, quod declaro, quia si sanguis fluit à vena caua ad venam paruam, quæ est in dextra parte, subtrahendo sanguinem ex eadem parte, inanio venã cauam, & facio, quod sanguis qui prius mouebatur ad dextram, nunc reuertitur ad eandem,

venam

venam cauam & magnam, & non potest reuerti ad venam magnam, nisi faciat motum à dextris in sinistris, hoc est quod vult Galenus ad hoc quòd dicatur motus à dextris in sinistris non est necesse, quòd semper tendat vsque ad sinistram partem, quia sicut exempli gratia, lapis qui descendit à sursum, dicitur descendere ad centrum, etiam quod continuo non attingat centrum, sed etiam per duas vlnas moueatur descendendo, potest dici peruenire ad centrum Ita est in proposito, dicitur motus à dextris in sinistris, etiam quod materia non redeat nisi ad cauam venã quæ est in medio, tertia difficultas est, quia Gal. in 1. ad Glauc. cap. de causis inflammationis, dicit, quòd existente flegmone in parte genu debet mitti sanguis ex vena cubiti, è contra si fuerit apostema in cubito, vel in parte superiori, deberet mitti sanguis ex parte inferiori, ergo sic debet fieri in pleuresi, quæ est apostema in parte superiori, debet ergo mitti sanguis ex parte inferiori, vt expoplite, ex isto loco Galeni. credo quòd Auicenna habuerit suam opinionem. Respondeo igitur & dico, quod aliud est de flegmone in parte interna, aliud de flegmone in parte externa, quia flegmon in parte interna, idest in aliquo viscere, indiget celeri subsidio, vt dicit Gale. in initio illius capitis, ita quod nisi fiat talis preuisio in principio, & aliquod committatur erratum, agitur de periculo vitæ, & inter cætera incommoda quæ accidunt ad flegmonem internam est suppuratio, ita quòd si fiat suppuratio est periculum maximum, quia dicit Gale. 2. pronost. 52. suppuratio est media inter sanitatem, & insanabilitatem, debet ergo Medicus omnino vitare istud incommodum quantum potest, sed nullum est magis præsentaneum remedium, quàm euacuatio à loco in eo casu, quia debet Medicus

niti

niti vt materia in eo loco recepta educatur per flobotomiam, & non potest educi per flobotomiã, nisi educatur ex loco rectitudinem habente cum loco læso, & ei proximus, & habet colligãtiam cum eo, & ad istud propositum dicit Galen. in de sang. miss. distin. 2. sum. 2. cap. 5. quod in principio apostematum fluente adhuc materia debet fieri reuulsio cum euacuatione, sed in apostemate cruris vel genu, aut alio apostemate exteriore, vbi non est tantum periculum de suppuratione, non curat Medicus reuellẽdo euacuare, à loco apostemato, quia sufficit quòd reuellat à parte distante, quia per sanguinis missionem in brachio bene fit reuulsio & tollitur ille impetus naturæ expellentis ad eam partem, & hoc sufficit Medico. Ideo Gal. in de flobotomia, distin. 2. sum. 1. cap. 3. dicit, quòd non debet mitti sanguis vsque ad coloris mutationem in omni flegmone sed solum in interioribus, ob scilicet magnum periculum, quod imminet ex ipso flegmone interno; reuulsio opposita solum sistit impetum impellẽtis naturæ, & non euacuat à loco apostemoso. Quòd ista sit vera intentio Gale. apparet ex eo 13. de ing. & in de flobotomia, vbi expresse vult quòd flegmonizãte aliquo viscere ex inferioribus, quod mittatur sanguis ex vena poplitis, quia illa habet omnes conditiones cum ipso vtero & vesica, sed in apostemate cruris vel genu non mittit ex illa quæ est sub malleolo, quia non est intentio ad euacuandum à loco læso. Quarta difficultas est, quia videtur quod ex flobotomia ex eadem parte fiat maior attractio ad locum læsum, quàm euacuatio, quia videtur quod ex flobotomia ex eadem parte faciamus currere sanguinem, ad eam partem, ad istud respondeo, quòd euacuatio ex eadem parte non trahit materiam ad locum læsum, sed attrahit à loco

læso, quia flobotomia, ex quacunque parte fiat, euacuat à toto, secundum Galen. siue ergo fiat ex eadem parte, siue ex opposita, euacuabit à toto, sed accidit ista differentia, quia ab eadem parte melius subducit materiam à loco, & melius suscipit impulsionem à natura factam. Quod declaro, quia materia propulsa à venis, impellitur secundum longitudinem villorum si ergo mittatur sanguis ab eadem parte, per impulsioné quam habet per villos lõgitudinales tota influit illuc, & non transibit ad locum læsum, & non magis replebit, quàm euacuabit, imò magis euacuabit, sed dices, dicamus quod non euacuem multam quantitatem sanguinis, ob aliquid quòd impediat, tunc natura suscipit illum impetum. Ideo magis ledetur. Respondeo, quod dum non possumus vnica euacuatione euacuare, tunc stante aliquo impedimento debemus reiterare, & quando Gal. dicit in de flobotomia dist. 2. sum. 3. cap. vlt. quòd si intendamus euacuationi, & reuulsioni, tunc eadem die, & post quatuor horas, si intendamus reuulsioni tantum, sequenti die. Respondeo, quod non intendimus reuellere solum, nisi vt sistamus aliquem alium fluxum, tunc ad sistendum alium fluxum, sufficit reiterare die sequenti, ne debilitetur nimiũ virtus. Ideo dicebat Galen. ibi, quod æger debet refici, & post reiterari, sed dũ intẽdimus reuellere, & euacuare fit id ad prohibẽdã aliquã flegmonẽ, ideo acceleratione indiget, & nõ tãta mora. Et quantũuis Gal. dicat, ꝙ eadẽ die debet reiterari, tamẽ nõ ĩtelligatis, ꝙ sufficiat eadẽ die, vt mane, post vesperã vsq; differre, sed debet intermitti spacium trium, aut quatuor horarum, quia Gal. in hoc proposito loquens in quarto de tuenda sanitate dicit, quod debet tantisper intermittere, vt alii humores, qui sunt intra venas, intro remeent. Hæc satis dicta sint pro ista quæstione.

Com-

COMPENDIVM BREVE BENEDICTI VICTORII FAVENTINI,

De Doſibus medicinarum.

Caput primum.

SERMO iſte breuis tria habet capita principalia, primum caput eſt medicinarum ſoluentiũ, ſecundum caput erit digerentium, tertium vnguentorum & emplaſtrorum. Pro primo capite attende, quod medicinæ ſoluentes quædã ſunt in forma potabili, quædam in forma pillularum. Et quoniam medicinæ ſoluentes in forma potabili, & in forma boli, eodem curſu currunt, ideo primo de his ſimiliter ſermonem habebimus. Et nota, quod medicinæ ſoluentes ſunt duplices, quædam ſunt, quæ ſoluunt electiue humorem proprium, vt Scammonea coleram, Sena, epithimum, melancholiã, Turbit, & agaricus pituitam, quædam ſunt medicinæ ſoluentes leniendo, & ſunt illæ quæ euacuant à vijs latis educendo materias communes, & ideo ſunt baſis omnium medicinarum electiue ſoluentium, veluti eſt caſ-

ſia fiſtula, manna, thamarindi, & condimenta quædam ſicut cõfectio de prunis ſine ſcamonea, de ſebeſten ſine ſcamonea, & de casſia ſine ſcamonea, Doſabis igitur medicinas ſoluentes leniendo, ſecundum medicinas ſoluentes ſecundum electionem humorum educendorum. Et attende quod cum doſis medicinarum ſit quantitas ponderalis earundem, quod in volendo doſare medicinas lenitiuas debes habere reſpectum ad ætates principaliter, eorum corporum, quæ lenitiue euacuari debent. Conſiderabis igitur tres ætates, primo ætatem à ſeptimo ætatis anno infra, ſecundo à ſeptimo vſque ad ſexageſimum annum, tertio ad ſexageſimo vſque ad vltimum ſenium. In prima itaque ætate Medicus debet eſſe valde prudens, & timoroſus in dando medicinas ſolutiuas, in quibus ingreditur ſcamonea, vel aliud forte ſolutiuum, ſicut eſt turbith, eſula, & etiam pro parte agaricus, quoniam à ſeptem anannis infra ætatis corporis humani humidum eſt valde reſolubile, & medicina electiue, operans nedum agitat humidum, verum etiam ſui caliditate illud conſumit, ideo conſulo quod Medicus inquantum poteſt, caueat ab exhibitione medicinarũ in dicta prima ætatate. Sed quoniam medicinæ lenientes vltra hoc quod euacuant materias communes in viis latis exiſtentes, non viciant membra, à quibus, educunt ideo in hac prima ætate denegandę corpori non erunt. Quarum doſis communis erit maior vſque ad drag. 7. Iuniorum vero ſecundum quod annuatim minorabitur ætas à ſeptimo anno infra, vt in ætate ſeptem annorum audacter exhibe casſiam ad doſim dragmarum 7. In ætate ſex annorum 6. drag. dabis. In ætate veró quinque annorum drag. 5. cum veneris ad ætatem quatuor annorum conſulo, vt nullatenus des ipſis pueris medicinas le-

lenientes, quoniam sui viscose substantiæ, & dulcedine facilè cõmouent vermes. Igitur pueris à quatuor annis infra prohibebis omnia hæc cassiam, & confectionem de sebesten, & confectionem de prunis, & similia his eo tamen tempore libere poteris offerre ipsis pueris rheubarbarum in substantia mag. quia oppugnat vermibus, minus vero in infusione. Et maior dosis rheubarbari in dicta ætate erit vsque ad drag. vnã, vel in forma pilulari, vel in forma potabili. In ætate vero media, cuius sunt tres particulares ætates, vna vsque ad 18. annum, alia vsque ad quadragesimum, tertia vsque ad sexagesimum. In prima ætate dosis medicinarum lenientium poterit ascendere vsq; ad dragmas decem à decem & octo vsque ad quadraginta, vsque ad vnciam vnam & mediam à quadraginta vsque ad sexaginta quandoque dragm. decem, quandoque vnc. vnam & med. dare poteris attenta consideratione ad obedientiam, vel inobedientiam alui, siue ea tribue in forma boli, vel in forma potabili. In tertia ætatæ vero, quæ est vsque ad vltimum senium nunquam transcendas dosim dragmarum 10. medicinarum lenientium. Et sic in omni ætate audacter poteris contribuere prædictas doses medicinarum lenientium. Demum considerabis dosim medicinarum electiue soluentium. Et attende, quod tales medicinæ sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt furiosæ in suis operationibus, & modo soluendi, vt scamoneum, elaterium, quarum operationes, sunt sicut furiosi operatores, & ideo cogitabis quod dosis dictarũ medicinarum sit per gr. & non per drag. vel per scru. & in dando tales medicinas corpori humano non attingas vsque ad scrupu. earum, sed multo infra dosabis eas per grana adeo vt earum dosis non sint, nisi gr. 10. si vero

sint medicinæ laboriose soluentes non tamen cum furia, & celeri euacuatione materiæ peccantis, dosis earum non attinget vnc. sed communis dosis earum non debet præterire vnc. med. vt turbith, agaricus, aloes, Si vero fuerint medicinæ electiue soluentes compositæ, quæ soluunt per virtutem scamoneæ, vel alterius fortiter soluentis, dosis earum de per se. non debet præterire dragm. quatuor sicut est electuarium indum, electuarium de dactilis. Confectio amech, confectio elescoph. Electuarium de succo rosarum. Si vero hæ medicinæ compositæ in quibus est virtus scamoneæ, vel alterius electiue soluentis, offerantur corpori humano permixtæ cum medicinis lenientibus sicut est communis practicandi modus, non attingas earum vnc. med. sed secundum quantitatem medicinæ lenitiuæ dosabis prædictas medicinas, vt si maior sit dosis lenientium, minor dicatur esse dosis electiue soluentium, verbi gratia, si dabis drag. 6. casiæ fistulæ nouiter tracte, vel alterius de prædictis medicinis lenitiuis secure poteris ei admiscere electuarium indum, vel diafiniconem in dosi dragmarum trium. Si vero lenitiuum fuerit vncia vna, solutiui dosis non transeat drag. 2. & ad plus drag. 2. cum dimidia, & eandem dosim solutiuorum obseruabis, si plura solutiua adinuicem permiscere volueris, siue hoc fiat in forma boli, siue in forma potabili.

Si vero Medicus morbum curabit cum exhibitione pilularum, consideret primo si compositionem illarũ ingreditur scamonea vel non, si non, sicut in pilulis de agarico, & de assaiaret, de aloe lota, tunc dosis istarũ debet esse vsque ad maximam dosim quæ est dragmarum 2. Et quia melius est infra subsistere quam complete euacuare, ideo cõmunis earum dosis maior erit

vsque

vsque ad dragmam vnam & med. attenta etiam ætate ipsius patientis, quoniam si esset puer, vel senex, earũ dosim minuere debebis, si vero in earum pilularum cõ positionem ingrediatur scamonea, debes considerare quantitatem scamoneæ ingredientis, si maior illius quantitas fuerit, tunc minues dosim earum, dato etiã quod non multum ingrederetur de scamonea, sed si cũ ea multa alia soluentia ingrederentur, sicut sunt pilulæ cochiæ Almans. Et pilulæ fœtide, & multe alie his similes, quarum dosis communis maior est dragm. vna, vsque ad scrupulos quatuor, tunc considera quod tales pilulæ medicinæ sunt prohibendæ & cauendæ à Medico in prima ætate, & tertia de iam dictis ætatibus, vbi vero has pilulas cõpones cum pilulis, in quarum compositionem non ingreditur scamonea, vel aliud forte solutiuum, secundum quantitatem pilulæ non scamoneate, verbi gratia, cum scrup. duobus pilularum assaieret, vel de agarico, vel elefanginarum poteris permiscere scrup. 2. vel 2. & med. pilularum scamoneatarũ vel aliud forte solutiuum. Et hæc de medicinis soluentibus tum leniendo, tũ electiue educendo.

Secundum caput est de digerentibus, seu de dosi ipsorum quæ corpori humano offerri debent.

Attende quod cum maior virtus alteratiua membrorum corporis humani sit in decoctione facta ex appropriatis simplicibus materiæ digerende, quam reperiatur in syrupis & aquis distillatis, ideo consulo, quod ceteris paribus maior quantitas syruporum cum aquis destillatis corpori exhibeatur quam ipsius decoctionis, ob quam rem considera quantitatem corporis

patientis, & quantitatem materiæ peccantis digerende, quod si corpus robustum & magnum fuerit, cuius membra sint proportio nata quantitate, poteris syruporum dosim crescere cum aquis destillatis vsque ad vnc. 8. pro vice ei offerantur vnc. 3. syruporum & in his non ingrediatur aliquod solutiuum, & vnc. 5. aquarum, quod si non fuerit tantæ magnitudinis & roboris corpus, vel in ætate pueritie, minuere debes dosim syruporũ secundum quantitatem minoris corporis, & etiam ætatem pueritiæ, vt si communis dosis syruporum cum aquis destillatis fuerint vnc. 5. secundum quod corpus erit excedentis quantitatis & crassitiei, & etiam materia erit multa, exhibebimus maiorem dosim syruporum. Si vero à mediocritate corporis minuat corpus humanum, & in eo pauca sit materia. Infra communem dosim syruporum poteris deuenire ad vnc. 3. vsque ad vnc. 3. syruporum cum aquis destillatis. Si vero pergratum erit Medico, vel infirmo digerere materiam cum decoctionibus, cum in ea maior sit virtus digestiua illius decoctionis dosis erit vsque ad vnc. 5. vna cum modico zucchari, vt melius natura voluptuetur in ea, quæ etiam decoctione in sua dosi poteris permiscere vnc. vnam syruporum secundum quod expediat pro digestione huius vel alterius materiæ digerendæ, & hæc de dosi digerentium dicta sint.

Tertium caput de vnguentis & emplastris.

In omni quantitate vnguentorum dosis debet esse alis, vt pro qualibet vncia oleorum, vel succorum in-

gredientium vnguenta sufficit dragm.med. puluerum ingredientium dicta vnguenta, quod si volueris vnguẽ ta in suis virtutibus vigorare, pro quælibet vnc. olei, vel succorum addere poteris dragmam vnam pulueris, de dosi ceræ ingredientis huiusmodi vnguenta dicimus quod diuersificanda erit secundum quod attendimus maiori, vel minori vnguentorum densitati. Vbi velimus densius vnguentum, plus de cera dabimus. Vbi vero minorem densitatem requirimus, & minus de cera contribuimus, ob quam rem cum cerota com ponere voluerimus, maiorem ceræ dosim contribuemus.

Vbi vero vnguenta mollia tẽtabimus, & maiorem ceræ quantitatem addemus. In prædictis quoque vnguentis considerare debes quãtitatem, seu dosim oleo rum ingredientium, similiter succorum, & puluerum, & quandoque gummorum iuxta quantitatem humorum peccantium, quod si humor peccans calidus fuerit, dosim frigidorum augmentabis. Si vero frigidus, dosim calidorum in maiori quantitate præparabis. Et simili modo in passiuis de humido, & sicco dicemus: semper tamen attenta complexione membri peccantis, quod si fuerit membrum complexionis frigidæ patiatur, autem ægritudinem calidam, dosis medicamen torum debet declinare ad maiorem gradum frigiditatis, primo vt repellamus calidam, secundo vt temperaturam frigidam membri conseruemus, & sicut di co de hac, dicendum est de complexione calida, sicca, & humida. Et attende quod si membra principalia patiantur à mala complexione calida, vel frigida, non debes illis applicare vnguenta, vel cerota quæ sunt vehementis frigiditatis, vel caliditatis, quoniam medicamenta intensæ qualitatis, non debent

appli-

applicari membris principalibus propter rationes datas a Principe in quarta primi. Si vero volueris emplaſtra componere aduerte, quod ea, quæ decoquuntur, vt herbæ, ſemina, radices, in maiori doſi debent aſſumi, quam ſit doſis pinguium, puluerũ, farinarũ, & oleorũ ingredientiũ dicta emplaſtro, quoniã de oleis in emplaſtris tantũ debes apponere, & de pinguibus aliis ſicut butiroſa, & pinguedines tãtũ debes apponere quantũ ſufficit ad impinguãdũ ſolũ ipſa emplaſtra. Et hoc vt aliorum virtutes non confundantur. Et in his emplaſtris debes habere conſiderationem ad complexionem morbi peccantis, quod ſi morbus calidus fuerit, vigeant in emplaſtro frigida, non tamen ſine adiutorio aliquorum calidorum, ne ſua frigiditate cõſtipetur, & compingatur materia in loco laborante. Simili modo ſi complexio morbi fuerit frigida, non ſis contentus ſolis calidis, ne eorum caliditate membrum patiens diſſoluatur. Et ideo relinquo prudentiæ Medici in doſando emplaſtro, & eorum quæ ingrediuntur ipſa, infrigidando calidis complicare, & in humido, ſiccis & è contra. Et hæc ſunt de oleis & vnguentis, ac emplaſtri.

Con-

CONCLVSIONES BARTHOLOMEI MONTAGNANAE

DE COMPOSITIONE, & Dosi medicamentorum, etiam omnium ferè simplicium.

MINOR debet esse dosis ingredientis compositionem, quæ est eleuata in gradu, quã quę non est ita. Elleborus in gradu, vt si spici nardi, camomillæ adiungatur, minor debet esse dosis quam camomillę, quę est calida & sicca in primo, & prima inuasione.

Maior debet esse medicine dosis habentis respectum ad longinquas partes, quam ad propinquas, & agaricus licet educat phlegma à toto corpore, maior tamen est respectus eius ad stomachum. Et Hermodactili maiorem habent respectum ad iuncturas, quare in comparatione ipsorum cum Agarico maior debet esse dosis Hermodactilorum ad educendũ phlegma ex vtroque.

Minor debet esse dosis Scamoneæ, quam Rhabarbari,

bari, & tanto minor quanto excedit in gradu.

Medicinæ ingredientis compositionem multorum iuuamentorum, vel operationum, minor erit dosis, quam multorũ iuuamentorũ tardæ operationis.

In medicina ponuntur aliquando duæ probasi, aliquando tres, aliquando vna tantum, vt in Benedicta ponitur Turbith ad euacuandum phlegma à renibus, & iuncturis, & ad ipsum fortificandum ponuntur Hermodactili, & quia tarde operationis Scamonea in paralysi, quæritur materierum consumptio, & neruorum corroboratio. Ergo simul miscetur Castoreum & Piretrum pro vna basi, aliquando ponuntur in vna basi duæ medicinæ contrariæ cognatæ membris diuersis, quia natura diuidit vnicuique suum proprium, & conueniens. Nam vnumquodque membrum non remouet quod sibi non conuenit, ad quod iuuatur ab attractiua, & aspectu membri.

In solutiuis quarti gradus distinguitur quia ponimus primo gradu solutiuum. Aquam lactis, syrupum violatum, mel rosatum colatum. In secundo Thamarindos cassiam fistulam, mannam. In tertio Polipodium rhabarba. & similia. In quarto Scamoneum, serapinum colatum. Dosis autem in minori gradu minor erit.

Tenenda hæc regula firma & solida ne transcendant vnciam duas, syrupo. licet dosis consueta sit vnciam duas neque vncia tres, aquarum pro singulis viribus.

Volens ordinare syrupum debet assumere accommodatum membro cui paretur syrupus, & ad stomachum. Absinthii syrupus vnc. vna, & de mentha vnc. 2. aque eorundem an. vnc. 2. in casu frigido.

Hec regula sit infallibilis in omni affectu calido & fri-

frigido, si dandus erit syrupus miscere conducit aliquā aquam cordialem, & buglosse, vel melisse.

Omnes syrupi cōpositi ex variis medicinis respiciētes varias egritudines appellantur magistrales, vt ex Absinthio, ex stechade, stomacho, & capiti.

Medicinæ educentes, alie sunt lenitiue, vt Cassia, manna, diacassia, sebesten, Aliæ laxatiuæ, quarū aliæ simplices propriorum quatuor humorum, aliæ compositæ vel in pilulis, vel electuariis.

Doses.

Syruporum dosis ad haustum vnum vnc. 2.
Aquarum cum mixtura syr. duplum totius.
Decoctorum siue syrupus ad vnc. 4. med.
Elect. à drag. 2. vsque ad vnc. 2. non certa.
Loch ad vnc. med. succesiue lambendo.

In digestiuis obseruandum quod membrum præcipue peccet quod vbi remotum fuerit ab ore plus aque digestiue haustus miscendum, si proprius, plus syrupi, vnde fit, vt aliquando in doloribus renum, matricis vesice solis aquis digeratur sic etiam si stomachus, & mezeraicæ peccent solis syrupis digeri materia potest in quibus Medicum anotomices meminisse iuuat.

Medicine in liquido cholere.

Thamarindi quorum dosis est a drag. tribus ad drag. quinque.
Diaprunis ab vnc. med. ad drag quinque.
Elet. de suc. ros. à drag. 4. ad drag. quinque.
Conf. Ham ab vnc. med. ad dragm. sex.
Diamanna ab vncia vna, ad vncias duas.

Casſia extracta ab vnc.vna ad vnc.duas.
Diaprunis ſimplex à drag.4. ad vnc. 2.
Elect.de ſebeſt.ab vnc.med. ad drag. 5.
Elect.de pſilio à drag,tribus,ad drag.5.
Hiera ſimplex à drag.3.ad vnc.mediam.

Phlegmatis.

Diaphen ab vnc.med.ad drag.5.
Indi ab vncia media ad drag.5.
Eleſcophi ab vnc.med.ad drag.5. vel ſex.
Hiere ſimp.à drag. 3. ad vnciam med.
Benedicte lax à drag.3.ad vnc.mediam.

Melancholie.

Diaſen.à drag.6. ad vnciam vnam.
Hiere ruf. Hiera log. Hiera cherm.ab vnc. med. ad drag. quinque, vel ſex.
Diacatholicon a drag.5.ad vnc.vnam.

Medicine in ſolido pilularum phlegmatis.

Hiere ſimplicis Hiere compoſite ad vnc.1.

Cochiarum	ad ſcrupulos duos.
De agarico	ad ſcrupulos duos.
Sine quibus	ad ſcrupulos duos.
Agregatiuarum	ad ſcrupulos duos.
Hermodactilorum	ad ſcrupulos duos.
Turbit	ad ſcrupulos duos.
De opoponace	ad ſcrupulos duos.
Euphorbii	ad ſcrupulos duos.
Serapini	ad ſcrupulos duos.
Benedicte lax.	ad ſcrupulos duos.

De

Pilule cholere.

De rhabarbaro	a drag. 1. ad drag. duas.
Hiere simp.	a drag. 1. ad drag. duas.
De fumoterre	a drag. 1. ad scrupu. 4.
Auree	a drag. 1. ad drag. duas.

Stomatice.

Azacorit, elephanginarum, aloes, masticis, hiere cum reub. hiere cum agar. lucis. ad drag. 1.

Tabule.

Diaphenicon	a drag tribus ad med.
Turbith	a dragm. tribus ad 4.
Tragea	a scrup. 1. ad vnc. med.
Elect. de suc. ros.	a drag. 3. ad vnc. med.

Pilule melancholice.

De fumoterre	ad dragmam vnam.
De lapide lazuli	ad scrupulos duos.

De quinque generibus mirab. ad drag. 1.

Additio ad doses syruporum.

Syrupus digestiuus a drag. 5. ad vnc. 2.

Pro syrupi vnc. vna aquarum vnc. 2.

Pilule a scrup. vno ad drag. vnam, sine acuitione, vbi vero per gr. acuimus addimus a gr. vsq; ad 2. Sed tunc quoque de pilularum pondere docuimus & scribimus a scrup. 2. ad dragmam mediam.

Boli laxatiui a drag. tribus ad vnc. med.

Elec. cum aquis a drag. 3. vsque ad drag. 6.

Conserue ad restaurandos spiritus vitales pro qualibet conserua specierum miscemus specierum scrupu. 2. ad drag. med.

Tabula

TABVLA DOSIVM COMMVNIVM tam simplicium, quam compositorum extantium in vsu.

A

ACeti passulati, Passularum ad acetum sit proportio in decies minor, vt aceti libra vna, passularum dragma vna.

Aceti squilliti ci — vnc. 3.
Aceti diarrhodon — vnc. 3.
Aceti conditi — vnc. 3.

Acuentium pharmaca in 10. minor vt,

Agarici drag. 1. salis gemme gra. 6.
Agarici decoctionis à drag. 2. ad drag. 5.
Agarici contriti à drag. vna, ad drag. 2.
Aloes lotæ à drag. 2. ad scrupulos 8.
Antidoti hemagogi — vncia med.
Aquæ ad iulep proportio sit quadrupla, vel sexdupla.
Aquarum destillatarũ, vel decoctis in e syrupis vnciæ 6. cum saccharo.
Aquarum cum syrupo — vncie tres.
Aquarum pro decoctione solutiuorum sit vsque ad vncias octo, consumpt. ad medietatem, si ex fructibus, si ex floribus ad quartam, si ex herbis ad 3. partem.
Aqua sacchari quæ pro potu fit ex vncia vna sacchari vnc. 21. aquæ bulitio sit ad consumptionem tertiæ partis.
Aquæ sacchari in confortatione non acuti ab vnc. 2. sacchari ad libram vnam.
Aquæ compositio, vt med.
Aquæ hordei pro potu in cibo sunt aqu libr. octo, hor dei

dei libr. 1. post ebulitionem illã proiiciatur aqua illa, & suppone secundo lib. aquæ, & decoquatur vsque ad cõsumptionẽ duarum partium, de tribus vsque quo ad libr. vnam deueniat.

Aquæ mellis pro potu tantum mellis lib. vna, ad 12. aquæ, decoctio fit ad consumptionem tertię partis.

Hidromellis mellis libr. vna, aquæ libr. octo, ad consumptionem tertiæ partis, & aromatizetur quandoque cum dragmis duabus pulueribus ligati in petia in libra vna aquæ.

Aquæ calibeate extinctio fit chalibe decies extincto, deinde coletur.

Aquæ simplicis decoctio fieri debet ad consumptionẽ duarum partium ex tribus ita, vt non remaneat nisi tertia.

Aquæ naturalis potio fit à lib. vna, ad tres.

Aquæ lactis potio fit à drag. 3. ad lib. 3.

Aquæ granatorum cum suis pulpis contritorũ ab vnc. quinque, ad vnc. octo.

Aquæ fructcum m. ab vnc. 2. ad quatuor.

Aristologiæ à drag. vna, ad drag. duas.

Aromatici rosati cum melle drag. quinque gariofilati similiter in forma solida dosis est vnc. vna.

Asari infusi dos. a drag. tribus, ad quatuor, contriti vero à drag. 1. ad drag. 2.

B

Balneorum artificialium consumptio fit vnius partis ex quatuor, aut vna de tribus.

Been à dragma media, ad dragmas duas.

Belliricorum infusorum ab aureis 3. ad 6.

Benedicte dosis à drag. tribus, ad vnc. mediam cum vino calido in clystere à vncia vna, vsque ad duas.

Brodii caulium pro lenitione ventri ſcutella vna.
Brodii galli decrepiti ab vnc.2.ad libr.1.

C

Capill. vene. ſcilicet decoctio in aqua cum aquæ libra vna.
Caput purgiorum ſucci ſit ad aquam proportio ſubtripla, ſeu ſubquadrupla pulueris à drag. vna, ad plus.
Cauteriorum pulueris doſis ad drag. vnam.
Carthami infuſi ad drag. quatuor, ad nouem, contriti vero à drag. 1. ad quatuor.
Caricarum in decoctionibus an.4. ad 8.
Caſſiæ fiſt. extractæ ab vnc. vnam, ad duas, in caſu ab vnc.2. ad 4. Ego tres ſumpſi.
Cartartici imperialis, a drag. tribus, vel 5.
Cerotum communiter ordinatur ab vncia vna, ad vncias duas.
Cerotum ex quolibet gummi, maſtice, galbano, & huiuſmodi cum aceti, vel vini parua quantitate diſſoluti fieri poteſt.
Cerotum ſtomachale ad formam ſcuti parui deferendum eſt ſupra ſtomachũ per duos, aut tres menſes.
Cerotum ſpleneticum quartanæ, ſupra pannum albũ de lana longitudine ſpithamæ, latitudinis quatuor digitorum ſex menſibus continuis deferendum.
Cerotum hepaticũ formæ lunaris, latitudinis palmæ.
Cerotum cordiale rotundum ad formam rotulæ mediocris ſuper panno de gran.
Cerotum matricale rotundum magnitudinis nebulæ magnæ ſupra vmbilico deferendum ſex menſibus.
Cerotum pro ſciatica, fit quaſi ſphericum longitudinis vnius ſpithamæ, latitudine ſex digitorum continue deferendum.

Cerotum capitale ad formam manus super buginata.
Centaureæ dosis à drag. vna, ad duas, in decoctione ab vnc.vna, vsque ad 4.
Chebulorum infusorum ad drag. 4. ad decem contritorum à drag. 2. ad tres.
Ciclaminis ab vnc.duabus ad quatuor, & proprie succi eius.
Citronum conditorum vnc. 3.
Clysterium decoctio ab vnc.quatuor, vsq; ad cyathos tres, olei vnc. 3. pul. 2. drag. vna. ad drag. duas, elect. vel sepi. vnc. 1. ad duas salis a drag. vna, ad tres.
Collirium pro occulis ex g. 3. aque cum sief. sine opio, tutia præparata abl. dra. med. ad plus.
Colochintidis dosi à scrup. vno, ad duos.
Cōfectio in solidis cōmuniter à drag. quatuor ad sex.
Confectio anacardina secundum Mesuē ad drag. duas, secūdum Modernos semidrag. cum vino bis in hebdomada in hyeme, in estate vero semel.
Confectio magistralis in morsellis tanta fructuum, quanta carnium, & pro qualibet libr. paste libr. vna sacchari quantum sufficiat.
Confectio magistralis in rotulis pro qualibet drag. 1. specierum, vult sacchari vnc. duas ad minimum, cōmuniter tamen tres.
Confectio vsualis pro vermibus ad drag. tres.
Consolantis ad solutiuum subdupla pro portio requiritur, vt turbith, drag. 2. zinzib. drag. 1. corrigentium debet esse ad solutiua proportio equalis ad subdupla.
Conseruæ violatæ ab vnc. duabus, ad 3.
Cucurbitæ elixæ, seu frixæ expressionis eius cum saccha. ab vnc. 4. ad tres.
Cucumeris asinini à gr. 10. ad 30. cum saccharo cum

pul. à dragm. 15. ad 35.

Decoctum eius à drag. 2. ad drag. 4.

Cynoglossæ opiate à drag. med. ad dragmam vnam ad plus.

Colaturarum decoctio, ideſt conſumptio ſit vſque ad medium, nec tranſeat libr. vnam ſimplicium decoquendorum vnc. 1.

D

Decoctio caricarum erit nu. quatuor, ſebeſten nu. 6. prunorum 7. iuiubarum octo.

Paſſularum drag. vna, tamarindorum drag. med. prunorum de perſ. nu. 4. vſque ad 6. Iuiubarũ ad octo, ad decem ſebeſten a 6. ad 15. Caritæ a 3. ad octo, paſſul. ad vnc. vna ad duas tamarindorum ad vncia vna, ad duas.

Diacalamentum dragma vna.

Diacasſiæ ab vncia vna, ad vncias duas.

Diacodii vnc. 1. Diacori drag. 6.

Diacurcumæ drag. tres.

Diacimini in forma ſolida drag. tribus.

Diacytoni laxat, ad vnc. 4. ad vnc. ſex.

Diacytoni cum ſpeciebus vnc. 1. ſiue vnc. duabus, ſoluti dragm. ſex.

Diagalange in elect. drag. 3. in forma ſolida drag. 6.

Daireos drag. 6.

Dialaiſſe drag. quatuor.

Diamargarit. drag. med.

Diamoron ſic. drag. ſex.

Diambræ in elect. dragm. 3. in forma ſolida a drag. 6. ad vnciam vnam.

Diamarinati drag. duas.

Diamuſci in electuariis dulcis drag. duas, ſed in forma ſolida

solida drag. quatuor.
Dianthos drag. 1.
Diapapaueris drag. 1.
Diapenidi vnc. duas.
Diaphenicon in elect. ab aureis 3. ad 4. in forma solida a dragm. 6. ad vnc. 1.
Diaprunis solutiui drag. 6. simp. vnc. 2.
Diarob descriptum communiter ab vncia media ad dragmas sex.
Diarob cum agarico a semidrag. ad drag. 6.
Diarob cum sena ab vnc. med. ad drag. 6.
Diarob cum turbith a drag. 2. ad drag. 6.
Diarrhodon abbatis vnciam vnam.
Diasenæ a drag. 5. ad dragmas septem.
Diasatyrion Mesue aur. 5. Nic. drag. 3.
Diadragantum alb. drag. 1. & rubri sile.
Diatrion pipereon cum melle dragm. 2. sed in forma solida drag. quatuor.
Diaturbith ab vncia media ad vnam.
Diureticarum decoctionum vnc. 5. cum saccharo lacte sem. communi vnde vnc. 4. succi facilis drag. 3. fortis drag. 2.

E

Elect. confortatiui ac laxatiui dragm. 1. atque aperit pul. drag. vna.
Elect. elescoph. ab aureis 2. ad tres in forma solida a dragmis sex ad vnc. vnam.
Elect. lenitiui ab vncia vna ad vnc. duas.
Elect. de sebesthen simp. ab vnc. 1. ad duas.
Elect. per digest. humorum, vnc. med. cum vnciis duabus aquæ appropriatæ.
Elect. de succco ros. a drag. 3. vsque ad 6.

Elect. de sebesthē solutiui à dragmis quatuor, ad dragmas septem.
Elect. de psilio a drag. 2. ad sex.
Elect. de empithimio a drag. 2. ad drag. sex.
Elect. in decoctionibus, vel infusio à dragma vna, ad vnciam mediam.
Elect. de aromatibus vsque ad aureos 3.
Elect. de gemmis aureum vnum cum aqua buglosse, aut vino bono.
Elect. regum drag. vna, vsque ad drag. 2.
Elect. de baccis lauri per os vnc. med. in clystere vn. 2
Elect. de sorbis vnc. vna.
Elect. indum a drag. duabus ad quinque.
Elect. dulcis drag. 1. cum brodio cicerum rub.
Emblicorum infusorum ab aureis 3. ad 6.
Ellebori nigra a scrup. vno ad scrupulos duos, Epatis lupi dragma vna.
Epithemi decoctum ab vncia vna ad tres contriti vero a drag. tribus ad drag. 6.
Epithematum aquarum a libra media ad duas, aceti al bi a drag vna ad vnciam vnam, Croci vel Camphoræ a gr. 4. ad scrup. medium, & vsque ad vnum.
Embrocatum pro qualibet libr. vna aquæ vini, vel alterius liquoris m. 2. herbæ, vel florum, vel seminū consumptio vero quartæ partis, vel tertiæ, vel mediæ pro communi embroca aquarum libr. 11. simp. in 24.
Emplastrorum pulueres confuso modo contritorum, vel radicum contusarum in aqua coctarum cuilibet m. 1. vnc. med. vel pinguedinis requiritur.
Euphorbii a gr. quatuor ad 12. dosis secundū Modernos a gr. tribus, secundum Veteres ad quinq; tantū.
Eupatorii decoctio ab vnc 4. ad vnc. 6.

Esule dicte Asorbram Corticis radicis eiusdẽ a gra. 8. vsq; ad 28. Sed lactis eius a gr. quatuor, vsq; ad 12.

F

Ficcuum siccarum calefacti pro lenitione ventris dosis nu. 6. vel octo.

Fomentationum pro toto corpore situlæ aquæ 6. ʒpro vno membro 1. herbarum autem vel florum m. 10. pro qualibet situla consumptio communiter decocti vsque ad tertiam partem aquæ.

Fomentationum ex floribus in decoctionibus pro qua libet situla aquæ m. 5. vel circiter, consumpt. ʒvero quartæ partis tantum.

Fricationum modus erit vsque quo rubent membra quia resoluere oportet, aut diuertere.

Fumiterræ succus ab vnc. med. ad vncias duas, decoctio ab vnciis decem ad 15.

G

Galbani, vel alterius liquoris vnc. vna pul. vnc. vna, pro pessariis crassitudo policis cum filo.

Gargarismatum decoctio, & consumptio fit vsque ad medietatem, nec transeat lib. vnam, simplicium decoquendorum dosis fit vnc. vna dulcium cum subscripto mellis, aut sacchari facturum vero cũ aquis sublimatis. Dosis aquarum vnc. 3. vel quatuor syrup. vnc. 2. elec. sub quadrupla.

Genistæ seminum ab vnc. vna ad vnc. tres.

H

Hamech elec. dragm. 2. ad aur. 3. montan. a dragmis quatuor ad drag. 7.

Hermodactilorum a drag. 3. vsque ad 6.

Harmodactilorum contritorũ ab aureo vno ad duos.

Hidromellis mellis libr. vna aquæ libr. octo, consumptio tertiæ partis.

Hiere simplicis Gal. in pil. drag. vna ad 2. confectæ cũ melle ab vnc. med. ad 1.

Hiere picre per os vnc. med. per cly. vnc. 1.

Hiere coloquintidos dragm. 2.

Hisopi montani decoctionis ab vnc. octo ad 10. contritæ a drag. tribus ad septem.

I

Indi maioris aurei 3. seu dragm. quinque minoris similiter.

Infusionum decoctio, vel cum aqua, cum succo rosarum, vel alio ab vnc. duabus ad quatuor pul. vero simpli. infundendorum à drag. vna ad tres, ad plus infusionis ab hora octaua ad 14. Dosis aquæ in infusione vsque ad vncias octo, ad plus consumptio ad medium.

Ireos a drag. 2. ad dragmas 6. in decoctione, contrit. vero a drag. 1. ad duas.

Iringiorum conditarum vncia vna.

Iulep partem vnam, aquarum partes tres vbi confortatione opus est, vbi autem extinctio necessaria est faciemus iulep partem vnam, aquarum partes sex.

Iulep longum sit quantitas libr. vna, dul. aut vini granatorum quantum de syrupo, vel saccharo aquæ in syr. sit æqualis.

Iuris galli decrepiti a libra vna ad duas.

Iusquiami in iniunctionibus vsque ad dragmã vnam.

Iustini cum brodio cic. rubr. ad drag. vnam.

L

Lapidis armeni loti a dragm. vna ad 2. non loti a dra. med. ad drag. 1. vel 2.
Lapidis lazuli præparati a drag. 1. ad duas.
Lauatiuorum siue brodii, siue aquæ hordei, siue mellis dosis communiter vnc. sex, vel cyathus.
Lætificans almansoris ad dragmas sex.
Lenitiuorum quantitas forma digiti minimi faciendo mellis ad puluerẽ proportio dupla fortium vnc. 1. pulu. dragm. 2.
Litontripon drag. vna cum brodio cicerum rubrorũ.
Loch sani vnc. 2. loch de squill. vnc. med.
Loch de pulmone vulpis dragm. sex.
Loch de papauere vnc. vna.
Lupulorum seu volubilis magni vnc. 4. infusionis in aqua casei cum libra vna.

M

Mannæ cum aqua hordei, vel endiuiæ dissolutæ vnciis duabus.
Masticatoriorum simplicium quantitas auellanæ, cõpositarum viscosarum ad non viscosa proportio ad mitius ad sesquialtera. Conuenientius tamen viscosorum partes sunt tres, non viscosorum vna. Et cum sapa, vel melle viscosa mollificentur, & cum aromatibus aromatizentur & grauiora sint & non insuauia.
Mandragoræ in vnctionibus dragm. vna.
Mellis rosati vnc. tribus.
Mezercon idest catapotia in decoctione a drag. media ad vnam, pulueris ęgranis octo ad scrupulum vnũ.
Mioletæ a dragmis sex ad vnciam vnam.
Mitridati dragmis tribus.

Mirabola-

Mirabolanorum citrinorum infu.a drag.5.ad 20. con tritorum a drag.duabus ad quinque. Indorum infu ſorum a drag. quatuor ad decem,contritorũ a drag mis duabus ad 4.

Muſæ eneæ dragmis tribus.

O

Opii per os a gran.tribus,ad ſex. In colliriis, ſuppo- ſitoriis vſque ad ſcrupulum vnum, in iniũctionibus vſque ad ſcrupulos duos.

Opiati cinogloſſæ vide in c.

Opoponacis a drag.vna ad dragm.duas.

Oximellis ſimpl.vnc.tribus, laxatiui a drag. quatuor vſque ad dragm. ſeptem.

P

Papaueris albi vnc.med.ſyrup.vnc.1.vel 2.Emulſio- nis ab vnc.duabus ad vnc.5.

Paſſularum pro lenitione ventris ab vncia media, ſy- rupi vnc.vna, vel media.

Penidiarum cum brodio carnium pinguium pro leni- tione ventris vnc. 2.

Peſſariorum quantitas ſit vnc.3. Craſſitudinis polli- cis cum filio doſis galbani,vel alterius pnlueris ad alias pulueres ſit æqualis.

Philonii romani, vel perſici a drag.vna ad tres poſt ci bum per vnam horam cum ſomnũ prouocare opor tet,quando vero ſedare dolorem aut fluxum cohi- bere exhibendo per 5.horas ante cibum.

Pilulæ de Agarico a drag.1.ad drag. duas.

Pil. aggregatiue a drag.vna ad drag.duas.

Pil. elephangine a drag.2.ad dragm. tres.

Pil. arabicæ a dragm. vna ad dragm.duas.

Pil.

Pil.az aicut a dragm. vna ad dragm. duas.
Pil.aureæ a dragm. vna ad dragm. duas.
Pil.anarasi a dragm.vna ad dragm. duas.
Pil.aureæ alex.a drag.2.ad drag.quatuor.
Pil.de bdelio a drag.2.ad aureos duos.
Pil.cochie a dragm.vna ad dragm. duas.
Pil.de euforbio a drag.med. ad drag. vna.
Pil.de eupatorio ad drag.2. cum aqua casei.
Pil.fœtide scrupulis duobus.
Pil.de fumoterre a drag.1.ad drag.duas.
Pilulæ de hermodactilis minores & maiores a dragma vna ad dragmas duas.
Pil.inde a dragmis 2.. ad aureos duos.
Pil. lapidis lazuli,& lapidis armeni ad dragmas duas cum aqua casei.
Pil.lucis a dragma vna ad dragmas duas.
Pilulæ de opoponaco a dragma vna ad dragmas duas cum aqua sua.
Pil.mastichine a dragm. vna ad drag. tres.
Pil.mirthine a drag. vna ad drag, duas.
Pilulæ de rhabarbaro ad dragmas duas.
Pil.sarcocollæ a dragm.vna ad drag.duas.
Pil. de serapino a drag.med.ad drag.vnam.
Pil.sine quibus a dragm.vna ad drag.duas.
Pil.stomatice a dragm.vna ad drag.duas.
Plinii arteticum ad dragmas duas.
Ptisane hordei ad consumptionem tantam vt ad medium veniat in liquido dandum.
Polipodii a dragm.duabus ad drag.quatuor.
Psili a dragma vna ad dragmas tres.
Pulueris solutiui a scrupulo vno ad dragmã vnã cum cyatho medio aquæ hordei, brodii carniũ aut vini.
Pulmonis vulpis dragmis duabus.

Prnuorum

Prunorum recentium, aut ſiccarum per noctem infuſorum in aqua florum violarum pro linimento ventris numero ſex.

Prunorum ſiccarum expreſſiones cum ſaccharo ad libram vnam.

R

Radices in dectionibus conſumuntur ad medietatem.

Rhabarba. contriti a dragma vna ad dragm. quatuor infuſi a dragma vna ad dragm. 10.

Requies nicolai a dragma vna ad dragm. tres.

Roſati electi dragmas quinque ſecundum meſuem ſecundum alios dragm. 8.

Roſatæ nouelle	vnciam vnam.
Rhob de macis	vnciam vnam.
Rhob vini	vncias tres.
Rhob de berberis	vnciam vnam.
Rhob de agreſta	vncias duas.
Rubie throciſcate	vnciam mediam.

S

Sacchari bugloſſati ab vncia vna, ad vncias duas.

Sacchari roſati ab vnc. medi. ad vnc. duas.

Sacculorum capitalium ſpecierum medium ingredientium vnc. vna, vel vltra figuræ oblongæ quadrangularis non tranſcendens tamen longitudinem ſex digitorum nec latitudinem quatuor, & ſit cum ſindone de grana.

Sacculus ſtomachalis ſimpl. meſuem 8. vel 10. eſt gr. vnc. 2. vel 3. figuræ ſcutalis.

Sacculorum cordialium vnc. vna figura quadrata, aut ad formam cordis in ſindone retorta, cuius longitudo ſit digitorum 6. trium latitudo.

Saccularum

Saccularum hepaticarum, ac stomachalium forma lunarius, vt de cerotis dictum est in litera C

Sape pro quibuslibet vnc. 3. farinæ amili vncis duabus & amigdalarum dulcium recent, sacchari cum aqua florum violarum, vel rosſ. quantum sufficit.

Salis gemmæ ad aureum vnum.

Sarcocolle a dragm. vna ad dragm. duas.

Scammoneæ seu diagridii a gr. 3. ad 12.

Sene pręparate puluis a drag. 2. ad drag. tres, cum brodio senæ infusæ ab aureis tribus ad vnciam vnam.

Seri caprini in quo fiunt infusa precedenti sero, epithimi, vel folliculi senæ dragmas duas, aut salis, drag. med. ad drag. vnam, colati mannæ scutella vna.

Serpentariæ a dragm. 3. ad dragmas sex.

Serapini a dragma med. ad dragm. duas.

Sebesthen solutiui adragm. 4. ad dragm. septem simplicis vero ab vnc. 1. ad vnc. 2.

Sternutamentorum quantitas sit gr. 1. frumenti humidorum vera pro qualibet vncia vna liquoris sit pulueris scrup. 1. vel dragm. med. tota autem quantitas humidorum non transeat vncias duas.

Stupefacientium non opiatorum quantitas a scrup. 1. ad drag. med. opiatorum vero fermentatorum ab vnc. 1. ad 2. med. pilul.

Syrupi violati dosis ab vnc. 2. ad vnc. 4.

Syrupi acetosi simplicis ab vnc. 2. ad vnc. 4. Et post ipsum duas horas bibatur vnc. quatuor aquæ hordei.

Syrupi communiter dosis est drag. duæ aquarum vero vnc. 4. pro syrupo.

Syrupi magistralis pro quolibet m. 1. herbarum lib. med. mellis despumati, vel sacchari addimus decoctionis, vel succi lib. med. mellis lib. med. vel sacchari ad minus licet sit melius 5. 8. permiscere.

Syrupi

Syrupi de stechade dosis ad vnciam vnam.

Stæchados, vel decoctionis a vnc. 5 . ad 7.

Succi granatorum vnc. 2. cum aliqua prædictarum aquarum.

Succi ros.puri ab vnc. 1.cum saccharo.

Succi viol.puri ab vnc. 1.ad 2.cum saccharo.

Succi violarum ab vncia vna ad vnc. duas.

Succi habominabilis libr. vna, mellis vel sacchari cũ libra vna addimus.

Specierum syrupos aromantizantium crasso modo contritarũ, in petia linea ligatarum dosis erit vnc. 3.pro lib.syrupi, vel iulep.

Sudorum prouocantium decoctionis, vel aquæ drag. 5. vini albi vnc.2.addimus.

Sacchari vnc. 2. electi drag. vna, cum vnciis quatuor aquarum.

Laus Deo.

GVLIELMI RONDOLETII DOCTORIS MEDICI ET MEDICINAE IN SCHOLA MONSPELIENSI PROFESSORIS REGII & CANCELLARII.

GVLIELMI
RONDOLETII
DOCTORIS MEDICI
ET MEDICINAE IN
SCHOLA MONSPE-
liensi professoris
regii & Can-
cellarii.

De Ponderibus: siue de iusta quantitate & proportione Medicamentorum.



PATAVII,
Apud Gratiosum Perchacinum.
M D LXIII.

CAPITA QVAE HOC OPERE continentur.

Gu-

GVLIELMI RONDOLETII DE PONDERIBVS, SIVE DE IVSTA QVANTITATE ET PROportione Medicamentorũ.

Quantitatem in Medicamentis tam ſimplicibus quàm compoſitis eſſe obſeruandam. Caput I.

MEDICAMENTA quæ ad morbos curandos vſurpantur, ſiue ſola ſint, ſiue aliis miſcenda, certa quãtitate vſurpari debẽt: vt Galenus, libro primo ad Glauconem, docẽs in quibus rebus ſit à ſit recta curandi ratio, ait hanc & quantitate, & qualitate ſingulorum medicamentorum perfici, nec non vtendi modo ex temporis occaſione deſumpto. Morbi enim non expugnantur imbecillioribus remediis: ſed fortioribus, aut ſaltem æqualibus. Remedia autem imbecilliora dicuntur, vel quæ ſua natura efficatia quidem ſunt, ſed minori quantitate ſumuntur: vel quæ ſua natura debilia ſunt. Ea omnino vel à morbo, vel à natura, vel ab vtroque vincuntur: victa autem inutilia eſſe ſolent. A morbo vincuntur, quia excrementis permixta, vim ſuam amittunt: vel quia morbus, multis numeris, natura ſu-

Recta cu rãdi rati

Quibus remedii morbi pugnẽtu

Imbeci liora r media.

Victa à morbo.

perior eſt. A natura autem, cùm medicamentum alimenti naturam habeat, vel familiaritatem cum aſſumentis corpore: vel huius indoles talis eſt, vt non niſi multa vi poſsit moueri. Quòd autem excrementa vires medicamentorum minuant, hoc euidentisſimè apparet in ſinapi, quod quanquam acre ſit, & extrinſecus appoſitum veſicatorium, intus tamen aſſumptum id non efficit, extinctum larga humiditate excrementorum ventriculi. Et quemadmodum milleſima pars vnius ſcintillæ ignis non vrit: neque item minima medicamentorum quantitas, corpus noſtrum poteſt afficere. Quod eo minus mirum eſſe debet, cùm etiam deleteria aliqua, minori quantitate aſſumpta corpus noſtrum non lædant. Hoc in cantharidibus videre eſt, quæ parua quantitate aſſumptæ, aliiſque medicamentis permixtæ, vrinam mouent citra aliquã noxã. Illud verò apparet in compoſitis medicamẽtis efficacibus, vt in medicamentis laxantibus, & alexiteriis: quæ niſi iuſta quantitate aſſumantur, vtilitatem corpori nullã præſtant. Maior autem quantitas, vel nimium alterando, vel nimium repente, aut ſupra modum euacuando, aut abſtringendo, aut relaxando, corpus noſtrum lædit. Quod ſola quantitate fieri certum eſt, eo magis: quòd medicamentorum quædam, ratione ſolum ſuæ quantitatis eſſe venenoſa conſtet, vt opium, mandragoram, hyoſcyamum, cicutam, ſuccum lactucæ: qui non minus corpus noſtrum lædere poteſt, magna quantitate aſſumptus, quàm reliqua frigida. Erit igitur vtile medicamenta neque minori, neque maiori quantitate vſurpare: cùm hæc leuiores morbos curãdo grauiores inducat, ac pene deleteria ſit illa noxa non careat. Sed certam & iuſtam eorum quantitatem obſeruabimus: vt tutæ, citæ, & probæ, ſuſcepto-

rum

Victa à natura.

Excremẽtis mixta medicamenta.

Sinapi.

Minima quantitas.

Deleteria quantitas.

Canthari des.

Maior quãtitas.

Venenoſa quãtitate.

Succus lactucæ.

Obſeruanda quantitas.

rum morborum curationis fiamus compotes.

Difficile esse iustam medicamentorum quantitatem definire. Cap. 2.

CVM aliqua sint medicamenta, quæ non nisi magna quãtitate assumpta prodesse possint: vt quæ leuiter laxant, & quædam quæ non nisi parua quantitate danda sint: ob eorum insignem laxandi vim, vel calfaciendi, vel refrigerandi: quædam vero medio modo se habeant. Difficillimum est proinde, medicamẽtorum quantitatem, vel modum, in tanta medicamentorum varietate, & corporum dissimilitudine, tamq; varia ætatum, tempestatum, regionum, locorum, morborum, & humorum euacuandorum ratione, diffinire. Non enim ex ęquo omnia medicamenta opus suũ peragunt: cùm cassia, manna, tamarindi, pruna, polypodium quercinum non nisi magna copia laxent. Contra diagridium, colocinthis, veratrum vtrunque, turbith, elaterium pauca, quamplurimum. Castoreum, euphorbium, piper, & quæ ad tertium, & quartum vsque gradum calefaciunt, vel minima quãtitate id possunt. Neque si refrigerare volueris, maiori opus erit opii, vel mandragoræ, vel hioscyami, vel cuiuslibet narcotici, cuiuscunque deniq; quod quartum gradum frigidi attigerit. Sed rhabarbarum, agaricus, senna, & quæ ad secundum & tertium gradum calefaciunt, vel refrigerant, siccant, vel humectant (quandoquidem moderatè corpus lacessunt) mediocri quantitate recipiuntur. Talis autem varietas est, quæ ratione assumendorum difficultatem incredibilem parit. Quã non minorem percipiet, qui quàm multiplex sit assumentium conditio, considerauerit. Primum enim ea-

Vnde difficultas quantitatis.

Medicamẽtorum dissimilitudo.

diuersitas assumentium.

dem non est in omnibus hominibus corporis constitutio, & temperatura. Alia enim facilè à quouis medicamento immutantur, alia autem difficilimè: Nam inter homines sunt, qui solo odore medicamentorum laxantium, ad excretionem excitantur: alii autem, ne magna quantitate quidem mouentur. Præterea ætatis, & tempestatis diuersitas, facit, vt idem homo eadem quantitate, & eodem medicamento Vere, Aestate, Autumno, & Hieme, puer, iuuenis, vir, senex pariter non moueatur. Quòd etiam regionum, & locorum dissimilitudo inæqualitatem remediorum poscat, apparet: Nam qui in regione Australi degunt, mitiori medicamento, & minori quantitate mouentur: quàm qui in Septentrionali. Et ne longiùs exempla petamus: Rutenenses non dragmis, sed vnciis medicamentorum fortium purgantur. Hoc idem accidit Hispanis apud Perpinianum: quòd septentrionalibus ventis assiduè perflentur. Monspessuli dragmæ duæ, vel dragmæ tres electuarii de succo rosarum suffiuiũt. Auenionenses medio modo se habent inter nos, & Rutenenses. Parisienses, ob regionis humiditatem, aluum ferè semper lubricam habent: proinde minori quantitate medicamenti, vel mitioribus purgandi sunt. Cæterùm ad eandem difficultatem trahemur, vbi ad morbi, vel symptomatum naturam considerandam peruenerimus. Apoplectici enim, & phrenetici, quibusque sensus sunt sopiti, vel mens laborat ob sensum in illis præsentem interceptionem, in his autem occupationem nimiam, irritationem à medicamentis factam nõ sentiunt, cumque ob id, sphincteres à sua constrictione non cessent: fit inde vt vel nullo modo, vel cum difficultate possint euacuari. Purgatio contra facilis in his qui quolibet alui profluuio laborant, conspicitur.

Regionũ varietas.

Rutineses

Perpinianenses.

Mõspessulani.

Auenionẽses.

Parisiẽses

Morborũ vel symptomatum natura.

Humorũ euacuan-

Deni-

Denique non minor forsan, quàm in præcedentibus, se se offeret difficultas cùm humorum euacuandorum aptitudo fuerit nobis discernenda. Facilè enim euacuantur humores tenues: vt serosi, quique præterea acres: vt Bilis, tũ qui in ventriculo, intestinis, & primis venis sunt, & iam commoti. Difficillimè autem crassi, vt melancholia, lenti, vt pituita viscida, nec non qui in vltimis venis, quæ circa habitum corporis sunt, & conquiescunt. Quare rectè dictum fuit antiquis, difficillimum esse quantitatem medicamentorum prȩscribere: sed hoc situm esse in artificiosa coniectura, vnde prudentiores Medici hac in parte, aliis sunt futuri excellentiores.

dorũ aptitudo.

Antiquorũ opinio.

Obseruatione longa, iustam medicamentorum præscribendorum quantitatem, primùm distinctam fuisse. Cap. 3.

OBseruatio & experientia multa nobis declarant, quæ ratio ostendere non potest. Quis enim ratione inuenire potuisset vnquam, quæ medicamenta pituitam purgarent, quæ bilem, quæ melancholiam, quæ aquas, aut quæ venenosa essent, aut quæ venenis antipathia quadã aduersarentur? Nullus certe. Imo sola experientia, longoque tempore à maioribus, talia primùm fuerunt comprobata, vt medicamentorũ iusta quantitas, obseruatione, dehinc artificiosa coniectura, cognita. Nam cùm aliqua non purgare in minori quantitate, experti fuissent veteres, maximam quantitatem, ausi sunt dare: in quibusdam verò aliis, ex mediocri quantitate super purgationem euenisse intuitu, proinde maximam quantitatem exhibere, postea cauerunt semper. Collegeruntque inde, quæ n[illegible]

τῶν ἀναίτιων inuẽtio.

Quantitatis iustæ inuentio.

medicamentorum quantitas neque maior, neque minor iusto, pro præsenti negocio, Medicis necessario foret vsurpanda. Nec vllus est tam exercitatus, qui possit aliam rationem reddere, cur scamonii vnciam vnã: vt fit de cassia, non demus. Cassiæ autem grana duo, vel tria, vt scammonii, in laxando aluo non præscribamus: nisi quòd experientia sperspicuum sit cassiam leuiter purgare, scammonium autem non nisi vehementer id facere.

Scammonium. Cassia.

Medicamentorum augendorum, vel minuendorum occasio vnde petenda. Cap. 4.

Experiẽtia & rõ.

Quæ experientia tradidit, ratio auxit, & confirmauit, vt in quantitate medicamentorum videre licet. Nam posteaquam maiores nostri obseruatione didicerunt, medicamenta certa quantitate laxare, vel aliud agere, singulorum medicamentorum dosim tradiderunt, vt aliquid certi de ea haberent studiosi, minimam, & maximam indicantes. Vt cum dicunt, rhabarbari dosim esse à scrupulo vno ad vnciã vnam: hoc præcepto docent, minorem quantitatem scrupulo vno inutilem, maiorem vero vncia vna, periculosam. Relinquentes à scrupulo vno ad vnciam vnam, multas, & intermedias dosium differentias, quas sagax Medicus peruestigando, in ea inuenienda quantitate, quæ vnicuique foret commoda, suum opus haberet situm. Sed quo facilius id perficeret, eam ex peculiari natura ægrotantis, victu præcedente, locorũ, & anni aërisq; constitutione, & ætatum, & sexus, & consuetudinum ratione, & ex humorum euacuandorum natura, locoque in quo collecti sunt, vel regione per quam educendi, morbique, & symptomatum proprietate, viribus assu-

Vnde certę medicamentorũ doses.

Opus sagacis Medici.

Vnde particulares doses colligendæ.

aſſumentis, & medicamentorum, eſſe colligendam docuerunt. Sed quia hæc clarius in medicamentis laxantibus apparent, ob id ab iis petamus exemplum. Primùm peculiaris ægri natura conſyderata, facilis ne ſit, an difficilis ad euacuationes, docebit, vt ſi facilis fuerit dragma ſemis, ſi difficilis, dragma vna, vel duæ exhibeantur. Quare ſi Medicus ægrum non nouerit, eum interrogare debet, quomodo ſe habeat ad euacuationes, & pharmacopolam qui medicamenta ſolet illi propinare, vt quantitatem medicamenti dandi, naturæ ipſius conſuetam edoceat. Quam poſtea prudens Medicus augebit, vel minuet, habita ratione eorum quæ ſuperius dicta ſunt. Victus ratio quæ præcesſit, recrementorum quantitatem, vel qualitatem manifeſtè docet. Qui enim tenui victu, & exquiſito vtuntur, paucis recrementis abundant, qui verò pleno, multis redundare ſolent, qui plenisſimo, quàm plurimis. Quare minorem, in eo qui inedia vſus eſt; maiorem autem in eo, qui multo pleniorem luxu, medicamentorum quantitatem adhibebit, vt medicamentorum proportio reſpondeat humoribus euacuandis. Qui non exquiſito victu vtuntur, ſed citra delectum quibuſlibet veſcuntur, alia atque alia quantitate purgandi ſunt. Nam qui fructibus aſtringentibus, vel alimentis fumo, vel ſale ſiccatis, & crasſis, vel aqua pluuia pro potu vtuntur, ventris partes magis cõſtrictas habent, & humores minus fluxiles, quamobrem erit medicamenti quantitas in talibus augenda. Et è contra, iis qui fructibus laxantibus, aut humidis, aut tenuibus, aut acribus, aut amaris, & facultatem expultricẽ proritantibus vtuntur, doſis medicamentorũ minuenda. Regionũ, locorumq; natura, communẽ habet cum anni, aërisq; conſtitutione obſeruationem. Quo fit

Peculiaris ægri natura.

Victus ratio præcedens.

Regionũ locorũq;

natura, ante aerisq; cōstitutio

fit vt vno theoremate dicamus, loca frigida, anniq́ue & aeris constitutionem frigidam, vel siccam augendam medicamentorum quantitatē docere, vt minuenda contraria constitutio suadet. In siccioribus & frigidioribus enim, humores minus mouentur, & in alto delitescunt, & conquiescunt. In calidis vero, & humidis facilius mouentur, quia calor facit ad meatuum relaxationem & humorum motum, humiditas ad faciliorem fluxum, frigus ad constrictionem, & quietē, siccitas ad pertinaciam. Et quo certius medicamentorum laxantium quantitatem, in omnibus locis, inuestigare possimus. Sentio non negligendam consuetudinem eorum, qui in iis medicinā facere cōsueuerunt, quæ ex eorum præscriptis in Pharmacopolarum officinis, sciri poterit. Vel interrogandi sunt Medici ipsi (quod mihi accidit in Hispania) faciendum. Quæ regio cum sicca sit, eius incolæ difficillimè mouentur ad excretiones, præcipuè plebæi, potissimumq́ue apud Perpinianum, quo in loco medicamenta laxantia prę-scribuntur, vt apud Rutenenses. Hac cautela, præter eam quæ communis est toti regioni, etiam hominum, qui in ea habitant, peculiarem naturam facilè edoceri poteris. Aetatem considerandam in deligenda medicamenti quantitate, etiam habemus necessario. Cùm puerilis ætas ob humiditatē facilè diarrhœa, aut alio ventris fluxu corripiatur, & ob eupathiam, siue mollitiem facilè robur dissoluatur, quare paruam quantitatem medicamentorum purgantium desiderat. Iuuenilis verò, cùm ob robur tum ob copiam recrementorum, maiorem. Senes, quibus, tempore iuuentutis adstricta fuit aluus, & senescentibus humida est, quia facilè diarrhœa vt pueri corripiūtur, & ob virium imbecillitatem eadem cum pueris quantitate euacuandi sunt.

Aetas.

ſunt. Quibus vero aluus adſtricta eſt in ſenectute, maiori quantitate ſollicitandi ſunt, vt & ætate conſiſtentes. Sexus nonnihil facit, nam mulieres, cùm ſint humidiores, minori quantitate medicamenti mouentur, quàm viri, idem & in eunuchis ſpectãdum, vtpotè qui naturam virilem deponentes, muliebremq; induentes humidi redduntur prorſus. Denique quicunque multa humiditate ſcatent, vt balbi, ita facilè à medicamentis patiuntur, vt pauca copia illis ſit ſatis. Conſuetudo etiã longa, medicaméta familiariora reddit, ob id quantitas eorum augenda, vel fortioribus medicamentis additis vel eorum vehementiam augentibus admiſcenda. Tantam enim vim habet conſuetudo, vt quæ etiam venenoſa ſint alimenta plerunque reddantur, quod videre licet in puella aconito educata: quandoquidem ſolent minus afficere quæ conſueta ſunt. Humor qui euacuandus eſt, maiorem quantitatem vel minorem docet exhibendam, vt ſi pituita tenuis euacuanda ſit, ſufficiat agarici dragma vna, niſi in partibus multum remotis poſita ſit. Ad Pituitæ verò viſcidæ, & craſſæ purgationem, dragma vna & ſemis, vel duæ ſumendę erũt, additis granis aliquot zingiberis, vel ſalis gemmæ, vel caſtorei. Ad Bilis autẽ euacuationem, minor quantitas requiritur, quàm ad Pituitæ, vel ad melancholiæ: humoris enim coctio, & præparatio minorem quantitatem medicamenti poſtulat, ob euacuandi facilitatem. Cruda uerò ſi euacuanda ſint, maiorem. ſolent enim difficilius euacuationem pati ob craſſitiem, & viſciditatem. A loco in quo humor collectus eſt augẽdæ vel minuendæ medicamentorum doſis indicatio ſuſcipitur. Nam ſi in ventriculo, vel inteſtinis, vel primis venis humor qui euacuandus eſt, collectus fuerit, dragma vna agarici ſuffi-

Sexus. Eunuchi. Balbi. Conſuetudo. Puella aconito educata. Humor euacuãdus. Locus collecti humoris.

Regio per quam educédus humor. ſufficiet, quæ quantitas non ſufficeret, ſi à capite, vel thorace, vel articulis, aut carne, remotioribus denique venis, vtpotè quæ adcutim ſunt, euacuandus eſſet. Si vomitione materia educenda ſit, minori quãtitate ſollicitanda eſt facultas expultrix, quàm ſi per ventrem, vel vrinas. Quod in azaro videre eſt. Azari enim radicis, vel ſeminis ſcrupulus exhibitus in aqua calida, vomitionem excitat, dragmæ duæ ventrẽ laxant, ſi tenuiſsimè terantur, dragmæ tres vrinam mouebũt, ſi dragmæ quatuor, menſes, ſi dragmæ ſex per inferiorem, & ſuperiorem, ellebori modo purgabunt. Præſens virium robur medicamentum dandũ maiori quantitate, ſuadet. Imbecillitas verò, de quantitate ipſius nos detrahere, cogit. Facultas expultrix ſopita magni momenti eſt, ad quantitatem medicamentorum determinandã, vt in apoplexia, caro, lethargo, & aliis ſoporiferis affectibus experimur, in quibus maxima quantitas medicamenti parum euacuat, quemadmodum etiam in phrenitide, & aliis morbis, in quibus mens occupata eſt, & excrementa ſurſum trahuntur. Hactenus perſecuti ſumus indicationes ſumendæ medicamentorum quantitatis, quæ tantum ab ægro, vel ipſius circunſtantis habetur. Supereſt vt præſens caput abſoluamus in ea perueſtiganda, quæ à medicamẽtis, eorumque viribus ſumitur, vt minorem fortium maiorem autem debilium quantitatẽ præſcribamus. Virium autem perquiſitio optimè fiet, ſi, cùm medicamentorum alia ſimplicia, alia compoſita ſint, ſimplicia ita conſiderauerimus, vt præter naturam quam habent à ſua ſpecie, verbi gratia, quod hoc vel illud ſcamonium, vel rhabarbarum ſit, vel ſenna, etiam loco vnde erunt progenita, aliquid tribuamus. Orientalia enim omnia maiorem habere vim nemini eſt dubium, nec

Azorum.

Præſens robur.

Imbecillitas.

Facultas expultrix ſopita.

Roboris medicamentorũ perquiſitio.

Simpliciũ

nec non ætas est animaduertenda, cùm ætate secundum aliquas qualitates augeantur, secundum alias diminutionem patiantur, vel prorsus earum iacturam. Hoc manifestissime apparet in cassia recenti, quæ ob suam largam humiditatem mediocri quantitate super purgationem facit, antiqua verò corpus alit, & minimè ventrem mouet. Non minus in oleo, quod vetustate acrimoniam acquirit, & siccandi vim, relaxandi autem amittit. Lachrymæ recentes emolliunt, antiquæ vim emolliendi perdunt, digerendi acquirunt + Semina frigida maiora, & amygdala recentia refrigerant, & humectant, vetusta calefaciunt, & siccant. Castoreum, thapsia, balsamum, post duos annos, vim suā amittunt. Compositorum verò ratio, in componendi modo, simpliciumque ex quibus componuntur, iam explicata conditione, tota est sita, nec non ætate. Theriacam enim sciunt omnes, annis amittere vim incrassandi, siccandi verò, & calefaciendi acquirere efficacitatem. Ergo, vt vires medicamentorum præparatorum in officinis, perspici possint. Pharmacopolarum & doctrina, & probitas est cognoscenda. Solent enim alii melius, alii deterius præparare medicamenta, alii alia medicamenti præparatione, alii melioribus medicamentis vti consueuerunt. Ob id & descriptiones medicamentorum, & simplicia quibus vtuntur, Medicus diligenter animaduertere debet. Nam & in quibusdam compositionibus, vt Catholico, & syrupo rosato laxatiuo scammonii, vel diagridii partē aliquam addunt, cùm vt aliorum simplicium imbecillitatem, prauamque compositionis præparationem tegant, tum suis medicamentis fucū quendam addant.

Compositorum.

Præparatorum in officinis.

In quibus medicamentis magis religiose quantitas sit consideranda, & in quibus minus Cap. 5.

MEdicamenta omnia, quæ nostrum corpus afficere possunt insigniter, postulant sui quantitatẽ religiosius exhiberi, in aliis ea minus est consideranda. Cùm autem medicamenta omnia primo sese nobis offerant, vel tanquam interna vel tanquam externa, quia hæc minus periculi habent, ideo quod iam dictum est, citra ampliorem explicationem, hac in parte, satis esse poterit. Sed cùm nullum sit internorum, in quo assumendo de vita agi non videatur, ea de causa, attentionis in his multo plus requiretur. Non tamen quòd internorum vna appellatio, vnicam quantitatem postulet, imò noua se se offert hic denuo facienda distinctio, vt quæ ventrem laxant immoderatè, dosim permittunt paucissimam. ventrem enim agitãdo, vel nimium laxando vires deiiciunt, ob id eorum quãtitas maior est vitanda. In iis verò quæ minus laxant, vel constringendo, vel leniendo, vel trahendo, minus accuratè quantitas est obseruãda. Porrò in Antidotis, & Arteriacis, & Collicis, quia hæc omnia opium recipiunt, potissimum cùm recentia sunt, minorem copiam recipere est necessarium. In iisdem compositionibus antiquis, minus periculosa maior quantitas erit. Antidota, quia mediam naturam habent inter nos & venena, plus, quàm reliqua, habent periculi. Quam ob causam, theriacam pueris dare, prudenter Galenus prohibuit. Quod si danda foret, certè à scrupulo semis, ad scrupulum vnum tantum esset præscribenda. Idque in valde senibus non minus est obseruandum, cum non minus, in his, periculosa sint recentia, medicamenta parata ex opio, quàm in pueris, quia cùm

Externa. Interna. Exantia immoderatè. Parum laxantia. Opium. Antidota Theriaca. Parata ex opio recẽtia.

cùm parum calidi innati habeant, facilè extinguitur magna eorum medicamentorum quantitate. Item medicamenta omnia, quæ ad quartum gradum vel calefaciunt, vel refrigerant, minori quantitate sunt vsurpanda ob insignem eorum vim agendi. Religiosè etiã quantitas venit obseruãda, eorum quæ valde cara, aut fœtida, denique quibus sapor, vel odor est ingratus. In mitioribus autem remediis, & imbecillioribus, familiaritatemque habentibus cum corpore, & ventriculo gratis, minus religiosè exhibebitur. Nos, ob eã causam, in hoc libro, rudi vt aiunt minerua, quantitatem simplicium, & compositorum medicamentorum docebimus, & miscibilium, quam debent habere ad inuicem proportionem, pro remediorum formis, & scopis. Nam exquisitius doceri non fas est, ob corporum, & affectuum maximam differentiam.

Adquart[um] gradum agentis.

Cara.

Fœtida.

Mitiora.

Præsenti[s] opusculi argumẽtum.

Quando in medicamentis iusta proportione componendis, æqualitas miscendorum, vel inæqualitas seruari debeat. Cap. 6.

MEdicamenta, quæ in vsum veniunt, rarò sola, & per se vsurpantur, sed aliquibus permiscentur, vel vt conseruentur, vel vt commodius exhibeantur, vel quæ periculosa sunt, tutius administrẽtur, vel quæ parum efficacia sunt, efficaciora fiant, vel quæ ingrata sunt magis grata reddantur linguæ, palato, ventriculo, vel ad certam formam medicamentorum reducantur. Sed quia aliquando quæ commiscentur similia sunt, & ex æquo affectui, causæ, & symptomati aduersantur, & pariter corpori, & parti, conueniunt, & materia apta est formæ inducendæ, tunc in eadem proportione, & mensura æquali definiuntur, & è contra,

Quare m[i]sceantur medicamenta.

Aequali quãtitat[e] miscend[a].

Inæqual[i]tate misc[en]da.

si qua istarum conditionum desit, non æquali mensura, vel põdere permiscentur, illudque factum est in cõpositione Basiliconis. Quæ recipit ceræ, picis, resinæ, adipis tauri, vel eius loco olei æquales partes. Hæc simplicia, quia ex æquo suppurationem iuuant, ob id æquali pondere permixta fuerunt. Adde quòd hæc compositio nullam materiam desiderat, vel ad conseruationem, vel ad formam inducendam, sunt enim ex eorũ numero, quæ facilè non putrescunt, quia pinguia, & viscosa sunt, & ipsa formam vnguenti liquata simul constituunt, addique solent vnguentis, vel emplastris ad inspissationem, & ad vnguenti, vel emplastri formam inducendam. Euenit aliquando, vt medicamenta, ob æqualem efficacitatem simpliũ ex quibus componuntur, ex æquis deberent constare quidẽ partibus, sed quia amara, aut alio modo ingrata sunt, ad dulcorem inducendum, vel mel, vel zaccharum, vel sappam, vel aliquid aliud tale desiderant, maiorique copia, licet nihil, vel parum ad effectum sint profutura aliquando. Vt in Theriaca diatessaron euidentissime apparet, quæ recipit gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ rotundæ, singulorum vncias duas, mellis vero libras duas. Sunt enim amara & ingrata valde omnia, proinde ad dulcedicem his inducendam, mel in maiori quantitate est positum, tum etiam vt oppiatę, vel confectionis formam induceret. Quod si eorum quæ in compositionem ingrediuntur, vnum, vel plura morbo, omnium reliquorum maximè conueniant, ea quantò sunt conuentiora, tanto maiorem sui quantitatem dabunt. Vt videre est in compositione Philonii, in qua opium, castoreum, & reliqua quæ ipsum perficiunt, quia dissimilia sunt, nec ex æquo conuenire possunt, non æquali quantitate recipiuntur.

Basilicon.

Minus scopũ spectãtium plus aliquãdo esse accipiendum.

Cõmodio[ri]s maio[r]é quantitatem esse [a]ccipiendam.

[Ph]iloniũ.

Pi-

Piperis enī, & hyoſciami antæ dragmę viginti ponuntur, cum opii dragmæ decem, croci dragmæ quinque, ſpicæ, pyretri, euphorbii ante dragma vna, addantur tantum.

Quæ quantitate reliqua medicamenta in compoſitione ſuperare debeant. Cap. 7.

IGitur, cum medicamentorum, alia quantitate ſuperent, alia ſint inferiora in compoſitionibus, de illis primum agemus. Dicemuſque id fieri, vel qua ratione formam dant, & vice materiæ ſunt toti medicamento, vel præter id etiam affectui, & præcipuè ad eum expellendum actioni, vel etiam tantum morbo, aut præſenti morbi occaſioni potisſimum apta ſunt, vel eorum vis nulla, vel pauca eſt, niſi ſub grandiori mole. Ergo hoc commune & vniuerſale præceptum erit in omnibus remediorum formis parandis, vt quæ materiæ naturam referunt, & formam medicamentis inducunt, vel ad conſeruationem reliquorum adhibentur, quantitate reliqua, vel ſingula, vel omnia ſimul, ſuperent, vt ſaccharum, & mel in ſirupis, electuariis, confectionibus, oleum, & cera in vnguentis, lithargyrium verò, pix, reſina in emplaſtris. Aloë in pilulis. Præterea, ſi qua ſint à quibus, præterquam quòd materiæ vices gerunt, potisſimũ dependeat operatio (quod ſtudioſè in multis compoſitionibus obſeruatũ fuit) ea quantò pluribus de cauſis etunt conuenientiora, tanto maiori quantitate reliquis potiora erunt, vt in compoſitione Hieræ picræ videre eſt, quæ recipit azari, cinamomi, croci, ſpicæ nardi, maſtichis, Xyobalſami ante dragmas ſex aloes dragmas centum. Cęterum ſi quod ſit à quo tota agendi vis pẽdeat, & quo

Cauſa m[aioris quan]titatis.

Pręceptũ

Materia[m] dantia & vim.

Hiera pi[cra].

Præcipu[um] totius cõ[positionis]

positionis medica-mentum. in scopum potissimum collimemus, reliqua verò tantum vel ad verò tantum vel ad incisionem, vel ad tenuationem, vel ad detersionem, vel corrobationem ventriculi posita sint, illud iure optimo primas, tunc temporis, etiam ratione quantitatis, obtinebit. Quod in præcedenti Hieræ picræ exemplo videri potuit, si quis opus dandæ formę medicamento nõ spectet, quia à sola aloë tota purgandi vis penderet, ipsa copia longè reliqua superauit. Idem contingit, eademque ratione, in Hiera colocynthidos, reliquis enim medicamentis, quanta aptitudine præstantior, tanto pondere iis est superior colocynthis. Recipiuntur enim hic medullæ colocynthidos mollis vnciæ sedecim, chamœpytheos vnciæ sex, florum iunci odorati, vel radicum, vel caulium vnciæ tres, cassiæ, cinamomi, spicæ nardi, myrrhæ añ. vnciæ quatuor, croci exagia septem, opopanacis vnciæ tres piperis longi, & nigri añ. vnciæ tres, marrubii, stechados añ. vnciæ septem, gentianæ agarici añ. vnciæ quinque, sagapeni vncia vna, mellis quod sufficit ad excipiendum, & dulcorandum. Talis descriptio reperitur apud Galenũ libro de paratu facilibus, in qua compositione, colocynthidos vnciæ sedecim recipiuntur, cùm aliorum medicamentorum pondus maximum sit tantum vnciarũ sex. Quod si à pluribus medicamentis depẽdeat actio, ea pondus minus necessariorũ, suo vincere debent. Secundũ hanc rationem agaricus, turbith, colocynthis, carthamus in remediis ad pituitam purgandam superant ea, quæ alios humores purgare possunt, vt in biliosis scammonium, & rhabarbarũ, in melancholicis thymus & epithimus, & hoc ita simpliciter pronũciamus, quatenus ad vnum tantum humore euacuandum medicamentũ aliquod paratur, vel præscribitur. Nã si plures humores

Hiera colocynthidos.

Quando plura in cõpositio [...]ne excel-[...]unt vi.

Quando

res sunt euacuandi, animaduertere oportet qui illorũ magis coctus sit, aut qui sit in viis ductuum, etiã si coctus non sit, euacuationi denique paratior, aut qui magis vrgeat, in eoq; casu nos maiorem copiam eius medicamenti quod talem humorẽ euacuat, non neglectis aliis humoribus minus vrgentibus, vel paratis minus ad excretionem, ponimus. Humores enim simul permixti non facilè ab vno medicamento trahuntur. Hoc in febribus compositis, & spuriis consueuimus facere: vt cum tertiana spuria curanda est, agarico, & rhabarbaro vtimur, maiorem tamen rhabarbari copiã, quàm agarici, quia bilis citius coquitur, & quia magis vrget sua tenuitate, & caliditate, in prima euacuatione ponimus. In declinatione verò plus agarici, quàm rhabarbari. Rhabarbarum infusum intelligo, cui maiorem quantitatem incidentium, & attenuantium vt cinamomi, & spicæ adiungimus in principio propter obstructiones, quæ tunc maiores sunt quàm in declinatione. In compositis verò febribus, & in quibus bilis peccat, ea magis euacuanda est, & primò. Pituita autem quia lenta, & viscida tardius concoquitur, & proinde postremò euacuãda. Porrò superant reliqua medicamenta quantitate, quæ sub magna mole vires habẽt imbecilliores, quales sunt oẽs ferè flores, & oĩa medicamẽta tẽperata, sed hoc faciẽdũ est, si forma medicamẽti nõ prohibeat. Nã pilularũ forma, sub parua mole, vires fortiores continere debet, ne molestum sit ægrotanti pilulas tã multas deuorare. Quare flores, neq; alia medicamẽta imbecilliora poni debẽt in pilulis, quia si ĩ magna quãtitate ponãtur, molẽ medicamẽti augẽdo, vires eiusdẽ minuent, vnde dosim pilularũ cogeremur augere, quod ægrotantibus esset admodũ molestum. Fructus idem faciunt in pilulis, proinde

Marginalia: plures humores sũ[nt] euacuãdi. — Humores permixti. — Imbecil[l]ia. — Pilulæ. — Flores. — Fructus.

in eis non sunt ponendi. Id similiter de aliis formis remediorum intelligendum est. Verùm hæc hactenus de iis quæ in medicamentis compositis primas tenere debent. Sed non est prætermittendum, reliquorum ne aliqua sint, in quibus ordo, post primum locum, etiã sit obseruandus, vt aliis secundas, aliis tertias, & ita deinceps dare oporteat, ad quod satis erit addidisse, vt si præter scopũ purgandi præcipuũ, detergẽdum & incidendum sit maiorem tamen incisionẽ requirat affectio, incidentia tunc detergentia superent, contra autem fiat, si magis detergendum sit, vt semper ad id quod magis vrget, scopum nostrũ dirigamus, non neglecto tamen eo quod minus vrget, vel sine quo aliud fieri non potest, vel minus bene fit.

Quæ primum ordinem deinceps sequũtur in præscriptis.

De his quæ minori quantitate sumenda sunt. Cap. 8.

Minori autem quantitate sumuntur omnia medicamenta, quæ vel ingrata, vel nimium cara ob raritatem, vel nimium efficacia sunt, vel aliquid veneni habent, vel tantum præcipuorum medicamentorũ actionem aut castigant nimiam, aut ope egentẽ iuuãt. Ingrata autem esse possunt, vel ob odorem, vel ob saporem, vel ob consistentiam. In internis itaque remediis, hęc quidem essent fugienda: sed si, ob eorũ usum necessarium, quandoq; sint vsurpanda pauca, eademque castigata in compositionem debent iniici. Talia autem sunt, ratione odoris, quæ fœtidum spirant, vt assa fœtida, castoreum, galbanum, opoponax, euphorbiũ, sagapenũ, & aliæ lacrymæ acres. Ex herbis, sabina, ruta domestica, & agrestis, pulegium, mentastrũ, anagyris. Sapore autem ingrata sunt, quæ acria, amara,

Ingrata.

Fœtida.

Sapore ingrata.

ra, nitrosa, vel acida existunt. Acria, vt euphorbium, thapsia, pirethrum, synapi. Amara, vt colocinthis, succus absinthii. Nitrosa, vt nitrum. Acida vt succus limonum, omphacium, acetum. A consistentia ingrata sunt viscus, & viscosa omnia, item pinguia, qꝑ ventriculum subuertant. Rara, & quæ magno pretio venduntur, vt moscus, ambra, ciueta, balsamum. Hæc omnia in quantitate parua poni debent, cùm ob raritatem, & pretiositatem, tum ob odorem insignem, ob quem in aliquibus affectibus, & in nonnullis hominibus fugienda sunt, vt quæ caput feriunt, & mulieribus afferant vteri præcipitationem. Nimium efficacia, quòd immoderatè corpus nostrum immutent, vel alio modo afficiant, qualia sunt ea quæ ad quartum vsque gradum vel calefaciunt, vel refrigerant, aut prorsus vitanda, aut parcius assumenda. Idem venit faciendum in iis, quæ tota substantia corpori nostro aduersantur, vt venenosa qualis est caro viperarum, scorpionum, cantharidum, & pleraque alia. Mineraliū quidem aliqua sunt, quæ, & tota substantia, & agendi vi immoderata periculum creant, eiusmodi est lapis cyaneus, qui ventrem supra modum laxat, & crustas excitat, vitreolum sua vehementi acrimonia erodit, alumē immodicè adstringit, sulphur vero nimium exsiccat, itaque præcedentium normam subibunt. Quæ porrò ad castigationem malignorum medicamentorum adhibentur, paucam tantum sui copiam permittunt, vt castoreum opio adiunctum non æquali proportione poni debet, si ad castigationem opii tantum admittatur. Quod si ex æquo conueniant affectui, vt si materia attenuanda, & dolor sedandus, pro partis etiam natura, æquali mensura commiscentur, sed in parua tantum quantitate, ob eorum insignem vim. Quod

Acria. Amara. Acida. Ingrata cōsistētia Rara. Nimium efficacia venenosa Mineralia Castigantia. Aequæ iuuantia.

Colicus affectus. quidem in colico affectu ob materiæ frigiditatem, ad flatuum verò, discusſionem, & senſum obtundendum obſeruari ſolet. Id in vehementisſimis quoque auriū doloribus faciendum, in quibus, ob ſenſum auditus, caſtoreum confert quam plurimum. Idem de croco, & myrrha ſentiendum eſt, quando ad caſtigationem opii adduntur, crocus in iis affectibus, in quibus & cō coquere, & ſomnum conciliare oportet, myrrha verò vbi detergere, vt in vlceribus renum, & veſicæ. Aperientia autem & deducentia minori quantitate, quàm alia quæ deducuutur poni debent, niſi ex æquo affectui vel corpori, cum reliquis conuenirent. Sunt verò deducentia medicamenta, quæ vim medicamenti purgātis, ſua partium tenuitate, ad renes, vel veſicam vel iunćturas, deducunt. Ad iunćturas quidem, vt hermodactyli, ſemen rutæ, radix penthaphyli. Cientia vrinas etiam commodisſimè interdum medicamentis laxantibus admiſcentur, ſed non pari menſura, atque ſi ad proprium opus, hoc eſt ad mouendas vrinas deſtinarentur. Purgationem enim potius alioqui minuerent, humoris motum reuocando ad renes. Quod ſi deducentium aliqua ſint, quæ vim aliquam purgandi, præterquam deducendi, habeant, ea largiori quantitate, ſi imbecillius euacuantibus miſceantur, quam quæ ſimplicem deducendi vim obtinent vſurpabuntur. Id in hermodactylis videre eſt, qui creduntur deducere vim medicamenti ad iunćturas, ſimul & ab iis educendi humores vim habere, quod tamen non facit ſemen rutæ agreſtis, aut domeſticæ, aut radix penthaphyli. Idem judicium eſto de facilitantibus operationem, vt zingiber, & ſal gemmæ, agarici, & turbith operationem faciliorem præſtant, faciunt enim vt pituita craſſa celerius faciliusq́ue trahatur, & purgetur: Zingiber quidē atte-

Margin notes: Castoreū in aurium doloribus. — Crocus. — Myrrhæ. — Aperientia & deducentia. — Cientia vrinas. — Deducentia simul & purgantia. — Hermodactyli. — Operationem facilitantia.

attenuando, & incidendo, citra reficcationem magnã. Sal autem gemmæ attenuando, incidendo, & facultatem expultricem irritando, Pituitosorum medicamentorum operationem augent, & accelerant, sed semper maior quantitas salis gemmæ, quam zingiberis, dum multum euacuare volumus, apponenda, ob id zingiber à granis tribus, ad grana sex in pituitosis medicamentis. Sal gemmæ verò à granis sex, ad scrupulum vnum, pro dragma vna agarici admiscentur: In turbith verò sufficit scrupulus semis zingiberis, vel salis gemmæ. In colocynthide verò grana tria, quia ista duo sua nimia acrimonia dysenteriam excitare solent, quòd idem facit sal gemmæ. Proinde potius in lacte infunduntur, vel muccilagini gummi tragacanthi, vel muccilagini psillii, vt eorum tenuitas crassitie muccaginis castigetur. Castoreum etiam supradictis pituitosis additur eadem proportione. Rhabarbarum iuuatur, aut potius castigatur, cum de obstructione metus est, spica nardi, cinamomo, schœnantho, spica celtica, aliisque aperientibus, attenuantibus, & odoratis additis. Quorum omnium eadem mensura non est. Cinamomum enim propter odoris, & saporis gratiã quam habet, in maiori quantitate imponi potest, videlicet pro dragma vna rhabarbari, cinamomi à granis, tribus ad scrupulum semis. Cassia siue cinamomum crassum minus laudatur in castigando rhabarbaro, adstrictionis enim cuiusdam est particeps & paucam in attenuando vim habet. Spicæ, cuius parum suauis & gratus est odor, vsus negligendus esse videtur, vel ad grana sex tantum assumenda pro dragma vna rhabarbari, adeo enim molestus & ingratus eius odor est, vt nauseam faciat, & vomitionem excitet. Spica porrò Celtica, schœnanthum propter maiorem

Colocynthis.

Rhabarbarum.

Cinamomum.

Cassia siue cinamomum crassum.

partium

partium tenuitatem, in parua portione poni debent, quo fit vt à granis tribus, ad grana quatuor tantũ, pro dragma rhabarbari recipiuntur. Si enim maior eorũ quantitas admitteretur, vrinas prouocando, & ad renes ab intestinis deriuando materiã, sua tenuitate partium, vt antea dictum est, purgationem impedirent, potius, quam iuuarent. Augenda est igitur horum quantitas, pro tempore morbi quo dantur, & pro natura ægrotantium, & morborum. Quod si ob medicorum male receptam & inueteratam opinioné, quæ si omnino rescindi nequit, vt minus tamen mali post se trahat ad curandum, vel consuetudinem ægrotantis, Rhabarbarum in principio febrium intermittentium propinare necesse sit, plus cinamomi tunc quam in declinatione infusioni adhibebitur, vel si ante vsum syruporum aperientium obstructiones detur, maior quantitas exhibebitur. Aegri quinetiam constitutio, siue natura quæ venas angustas habet, maiorem portionem cinamomi monet admiscendam, vt & morbus qui cum obstructione est, vel scirrho, vel cum tumore frigido, aut denique cum bilis crassa, pituitæ permixta, euacuanda erit. Si verò morbus cum defluxione sit, vel cum sanguinis reiectione, aut cinamomo prorsus abstinere, aut exiguam eius portionem assumere satius erit, propterea quòd cinamomum & fluxiones excitat, & fluxum sanguinis, in eoque casu magis laudatur vsus spicæ nardi, quæ fluxum compescendi vim habere deprehenditur.

Medicorũ prauæ opiniones. *Aegri natura.* *Cinamomum.* *Spicanardi.*

Quibus mensuris, mensurarumq; notis hodie passim medicamenta præscribantur. Cap. 9.

Quomodo circum

ANtequam ad singulorum medicamentorum secundum

cundum genera doses veniamus, operæ pretium mihi facturus videor, si prius mensuras, mensurarumque notas, quibus passim vtimur in præscribendis medicamentis, in tyronum gratiam, breuiter perstrinxero. Sciendum igitur est simplicium, & compositorum medicamentorum quantitatem circumscribi, vel pondere vel numero, vel mensura. Pondere vt Libra, Quartario, Vncia, Dragma, Scrupulo, Grano. Quæ tali se habent ad inuicem ratione, vt Lirba, quatuor quartaria contineat: Quartarium tres vncias: Vncia octo dragmas: Dragma tres scrupulos: Scrupulus grana viginti quatuor apud omnes antiquos, & probatos au thores. Hodie tamen inualuit apud Pharmacopœos pertinacia, quam à suo Nicolao contraxerunt, vt in vi ginti grana tantum diuidant scrupulum. Sed de his exactius hoc loco dicere non est animo, cum hic scopus sit tantum docere iuuenem Medicum, ita suas præscriptiones facere, vt aptè, & commodè à Pharmacopœis intelligi possint, & confici. Characteres communes, quibus passim ista pondera breuitatis gratia, notantur, tales sunt.

Scribātur medicamētorum doses.

Pondus.

Characteres ponderum.

Libra	lib.	Dragma	ʒ
Quartarium	4.	Scrupulus	℈
Vncia	℥	Granum	Gr.

Ergo si vnum tantum istorum ponderum velimus, ponimus lib. 1. 4. 1. vnc. 1. drag. 1. scrup. 1. gr. 1. si dimidiam partem tantum, primum notam ponendo eius quod volumus, semis deinde, quod hac nota sem. significabimus, subiungendo, exprimemus, vt lib. sem. Idq; in omnibus erit facere, præterquam grano, quod omnium sit minimum, suique diuisionem non patiatur. Si quis plura velit, notam ponendo eius ponderis cuius opus habet, subiungit 1. ser. vel. 2. vel 3. vel 4. vel 5.

vel

vel 6.& ita deinceps. Satiuſque exiſtimo,his priſco-
rum latinorum numeris vti,quàm ea quam Ciphram
vulgo appellamus, quæ ab Arabibus creditur cum hu
iuſcemodi characteribus ad nos perueniſſe.Ratio au-
tem hæc ad id me mouet, quòd duo ſint characteres
ponderum,qui figura cum duobus illorum cõueniant,
quartarii videlicet, & dragmæ. Vnde error creari
poſſet,vt ſi quis ſcribere vellet quartaria tria, in hunc
modum 4. 3. vel dragmas duas,in hunc 3. 2. quadra-
ginta tria,& triginta duo alter ſcripta exiſtimare poſ-
ſet,ſi diſtinctio in medio prætermitteretur,quod inter
ſcribendum nimium frequenter accideret. Præterea
eſt notandum,eſſe obſeruatu dignum,vt commodiſſi-
mè omnia ſcribantur, vt ſi 4. 2. velimus, potius per
lib.ſem.exprimamus,ſi drag.4.potius per vnc. ſem. ſi
ſcrup.1.ſem.potius per drag. ſem. quantum fieri po-
terit, maiorum ponderum notis pro denominatore
vtentes, tantoque numeratorem minuentes, quanto
denominator erit factus ſuperior. Quòd ſi ſeſe of-
ferret aliquando neceſſitas,libra vna,ſumere & drag.
quatuor mallem ad vnum denominatorum reducere,
diuidendo maiorem per numerum rationis, quam ip-
ſum habet ad minorem, id quod ſupereſt addendo, vt
libra dragmas 96.valet, præterea quatuor erant,quæ
additæ dragmas C. perficiunt. Quod Galenus fe-
cit in compoſitione Hieræ picræ, in qua ponit aloë
dragma C. Certum eſt tamen, aliquando apud anti-
quos legi, vt apud Paulum, Doſim alicuius medica-
menti, cum duplici denominatore, & recentiorum,
apud Nicolaum frequentiſſimè. Sed ſcito, id factum
eſſe, dum ob nimiam molem medicamentum aliquod
ſecandum haberent, tunc enim ſe aliquando offere-
bat facienda, Doſis alicuius, talis diuiſio,quam dein-
de

Latinorũ numeri. Ciphra.

Cõmodè ſcibenda eſſe omnia.

Ad vnum denominatorem omnia eſſe reducẽda.

Antiquos vno denominatore non ſemper eſſe vſos.

de ad vnam denominationem non reduxerunt, vel negligentia, vel quòd ob paruitatem minoris denominatoris, esset futurus immensus numerator magni denominatoris, si is diuideretur. Melius autem fecerunt illi antiquorum, qui non istis notis, sed ipsis nominibus sunt vsi. Quos si imitaremur, forsan melius, & tutius cum ægris ageretur. Sed ne nimium superstitiosi videamur, communem morem sequemur, diligenter animaduertentes, ne quid incommodi per incuriam, detur. Numero item metimur, ab vnitate ad mille vsque, vel vltra progredientes, scribendo Nu. 1. vel 2. vel 3. vel paria sic notantes 1. 2. vel 3. vel 4. & sic vtrobique deinceps. Mensuram verò (quanquam commune nomen sit omnibus mensuris, ponderibu, numeris, & liquidorum, & solidorum) pro vna tamen tantum forma metiendi, quæ deinde, pro ratione instrumenti quo metimur, sui diuisionem patitur. dum vel plicato brachio, vel plena manu, vel in digitos acuminata sumitur, separatim vsurpamus. Maximam mensuram Fasciculum appellamus, quam brachio altero complicato metimur. Secundam quantitatem, quæ sit quantum manus capere potest, manipulum vocamus, quam hac nota M. exprimimus. Minorem Pugillum nominamus, quæ fit digitis simul in extremitate compressis, nota eius est P. Quæ ante dicta sunt de numeratoribus in ponderibus, huc recuocentur, vt si his dimidiatis vti velimus, vel multiplicatis, commodè, & scienter id facere possimus. M. enim 1. vel 1. se. vel 2. scribimus. De Fasciculo, & pugillo idem intellige. Non mihi videtur, in numero mensurarium prætermittenda Mica, quo genere mēsuræ vsus est Galenus libro de Antidotis, cū in antidoto

Bonus antiquorum mos ī præscribēdo

Numerus

Paria.

Mensura.

Fasciculus.

Manipulus.

Pugillus.

Mica.

Prophylactico Apollonii ficubus, nucibus, & foliis
rute ἁλὸς χόνδρον hoc est Micam salis adhibendam di-
cit. legitur & λιβάνου χόνδρος hoc est thuris Mica,
apud Dioscoridem, & Galenum. Ita vt inde pateat,
hanc mensuram vsurpatam in rebus, quæ solent faci-
lè in particulas æquales Grano friari, vnde etiam vul-
gus per Granum exprimere solet, dicendo granum sa
lis, vel thuris, & re vera respondent melius significa-
tioni χονδρὸς quod granum significat. Sed ne confu-
sio sequeretur cum ea mensura, quæ pondere pēditur,
& granum appellatur, Micam verterunt Latini, quæ
propriè ψιχὰ Græcis dicitur, sed ferè vsurpant in plu
rali, cum medicamenta præscribunt, vt ad reliqua re-
cipienda, dicent, μετὰ ψιχῶν cum Micis panis, hoc
est multa Mica friata, à minuatim enim frangendo, quod
est Græcis ψᾶν ψιχὰ & ψίχιον dicitur, verum apud
Latinos, etiam in singulari numero, vel Mica vna, vel
id quod præter crustam est quòd minuatim frangi pos
sit, significari potest, Sed facilè est videre, vbi hoc, vel
illo modo vsurpetur. Præterea licet olim liquida pro
prium metiendi modum haberent, Libram quam men
suralem appellamus, quæ secundum tres dimensiones
metitur, quæ in suas partes ēt, Sextaria videlicet, Cya
thos Cochlearia diuiditur, certo ēt numero ab aliis cō
tinetur: tamen quia fuit semper multa varietas, & ho-
die est in eo Libræ genere, ponderalem Libram malu
mus vsurpare, ad maiorem certitudinem. Liquida er-
go mensurabuntur libris ponderalibus, & vnciis, raro
dragmis, nisi medicamenta sint nobilissima, vt balsa-
mi succus, aqua angelorum vulgo dicta, & fella in col
lyriis & aliis formis, in quibus talia vix drag. sem. ex-
cedunt. Interdum etiam minimam illam quantitatem
guttis exprimimus vna, vel duabus, aut tribus, aut cō-
munitẽr

χόνδρος.

ψιχὰ.

Liquidorum mensura.

Libra mēsuralis.

Libra pōderalis.

Quæ pondere mensurentur.

Quæ numero.

muniter hac formula loquendi vtimur aceti, vel olei, vel vini parum. Libris, vel Libræ partibus mensurantur herbæ, & radices siccæ, flores, semina, succi, lacrymæ, cortices, mettallica, & alia quæcunque supradictorum, aliis etiam mensuris possunt mensurari. Numero verò fructus, & potissimum legumina maiora, vt fabas, cicera etiam aliquando, metiri possumus. Fasciculis herbas recentes damus, vt in balneis. Manipuli etiam herbarum, & radicum recentium. Pugilli vero florum, cerealium, & leguminum præscribuntur. Igitur medicamentorum potissimum internorum, nō solum nomen sed & certam quantitatem designamus, ægro exhibendam, nisi tātum alicui compositioni forma danda fuerit. Tunc enim plerunque, quia res sub visum cadit, iudicio Pharmacopolæ permittimus quātitatem medicamēti, quod formæ dandæ destinamus, vt sacchari, vel olei, vel ceræ, scribendo sacchari quantum sufficit, vel olei, vel alius cuiuspiam cuius opus fuerit.

Quæ mensura.

Pharmacopœi iudicio relinquenda quātitas.

Qua quantitate radices in quibuslibet remediorum formis præscribantur. Cap. 10.

VNiuscuiusque medicamenti quantitas, qua ipsum mensurari debeat, cognoscenda, quæ varia est pro diuersitate formarum quæ dantur remediis, temporis, scopi, vel quantitatis totius compositionis. A radicibus autem ordiemur, quæ in balneis, Libris, vel manipulis multis mesurantur. Quod si vna tantum imponatur radix, ea in maxima quantitate ponetur, si duæ eiusdem facultatis, dimidiam partem supradictæ quantitatis miscemus, vt duæ simul iunctæ æquipolleant quantitati vnius. Quod in omnibus medicamē-

In balneis

tis facultate similibus, & ex æquo conuenientibus af-
fectui, obseruandum, vt antea diximus. Quando in
clysteribus vsurpantur radices, si pro vno clistere pa-
retur decoctio 4.1.radicum liliorum, altææ, vel emol
lientium aliarum, vnc.2.autem detergentium, vel ape
rientium sufficient, quando morbus talia medicamen-
ta desiderat. Quod si plures clisteres ex eadem deco
ctione parandi sunt, vel clister, fotus, irrigationes, en-
cathismata, & balneum, dosis augenda erit, pro ratio-
ne multitudinis, & quantitatis remediorum, quæ vna
necessaria sunt, & præscribuntur. Hoc vsu venit in
colico dolore curando, & nephritico leniendo, & cal
culo deturbando, in quibus ex eadem decoctione, &
fotus, & clisteres, & cataplasmata parantur. Vt in do
lore lateris, eadem decoctio clisteris in vase æneo, vel
vesica lateri apponitur. Materiam autem clisterum
augemus, quando ex decoctionis residentia cataplas-
mata parare volumus. Sed cum tales decoctiones pa
ramus multos vsus, animaduertendum est, vt ea adii-
ciantur, quæ dum vni scopo, & formæ remedii conue-
niunt, alteri non aduersentur. Vt si laboranti dolo-
re lateris paretur clister, ex relaxantibus herbis, & ma
lacticis, & discutientibus flatus, parandus erit, citra
violarum, vel seminum frigidorum maiorum additio-
nem, aut eorum quæ nimium acria sunt, vt mercuria-
lis, ne hæc nimium trahendo fluxionem irritent, illa
verò repellendo, cordi, & pulmonibus periculũ suf-
focationis creent. Igitur talia non iniiciuntur, licet
alioqui alui mouendæ ratione, aut febris, aut renum
conuenirent. Sed quæ emolliunt vt malua, bismal-
ua, vel semina quæ flatus discutiunt vt semen anisi, fœ-
niculi, & quæ dolorem soluunt discutiendo, & digerẽ
do, vt semen lini, fœnugræci, semen maluæ, bismaluę,
flores

In clisteribus.

Quando plura remedia ex vna decoctione erunt faciẽda.

Materia clisterum quãdo augenda.

Nota.

flores chamomeli, meliloti. Hic autem clister parandus erit, vt docebitur Libro de formis remediorum internorum. In syrupis, vel apozematis, radices ponantur ab vnc. 1. ad vnc. 2. vel vnc. 3. si pro multis dosibus paretur remedium, si pro vna dosi, à drag. 3. ad vnc. sem. vel vnc. 1. magis vel minus pro radicum natura, & viribus. Sunt enim quędã laxantes, siue purgantes, aliæ detergentes, vel aperientes, vel adstringentes, vel rarefacientes, vel refrigerantes, vel aliud aliquid efficientes: quæ omnes diuersa quantitate petuntur, pro diuersitate virium, scopi, & forma remediorum, vt radices apii, petroselini, graminis, asparagi, & aliæ aperientes obstructiones. Si ex his syrupi parentur ad aperiendas obstructiones, cum vna tantũ vsurpabitur, & pro multis dosibus ad vnc. 2. aponentur: si pro vna dosi, sufficiet vnc. sem. Si duæ vel plures vsurpentur, fiat idem quod dictum est in principio capitis, cũ de radicibus ad balnea fieret mentio. Quod si in syrupo purgante, ad faciliorem eductionem crassorum humorum, eędem ponantur vnc. sem. ad summũ vnius, vel duarum radicum simul sufficiet. Nã hæ omnes, vt & reliqua attenuantia, & incidẽtia, si in maiori quantitate ponantur, humores tenues, & serosos à ventre ad renes deducendo, & deriuando, alui subductionem minuunt. Nam quemadmodum mictio nocturnu plurima facta, deiectionem minorem per aluũ facit: sic cientia vrinas, fluxus ventris deriuant, & medicamentorum actiones eludunt. Quare grauiter peccant qui in maiori quãtitate, vel maceratas in vino albo, vel aceto syrupis laxãtibus admiscent. In thoracis affectibus vnc. 1. sufficit. In obstructionibus renũ, vel vesicę, & in remediis prouocãtibus sudores, vn. 2. vel vnc. 2. apponere possumus. Detergentes verò radices

In sirupis & apozematis.

Aperientes.

Aperientes in syrupo purgãte.

Mictio nocturna plurima.

Detergentes.

in syrupis pectoralibus,& in medicamentis renum,& vesicæ,si sine vlcere, vel inflammatione sint ad vnc.2. vel 3.possunt poni,si vlcus sit,vel inflammatio,vel sanguinis grumus in renibus,vel vesica,in quantitate minori,vt ad vnc.sem. est enim necesse crassos succos vrinam retinentes,vel sanguinem concretum,vel pus,medicamentis leuiter detergentibus à parte tollere, & vrinam retentam prouocare. Detergentes radices in cientibus vrinam,& medicamentis purgantibus, mediocri quantitate poni possunt, quia vtramque operationem iuuant. Purgantes radices, hoc si mediocriter faciant,ab vnc.1.ad lib.sem.in magnis compositionibus vsurpari possunt,in minoribus autem ab vnc.sem. ad vnc.1. nec minus vnc.sem.alioqui inefficax esset remedium, & ventriculum læderet. Tale est polypodium quercinum quod purgat, & adstringit, quare leuiter decoquendum,ne nimia coctione facultas aërea, in qua est laxandi vis,deperdatur, & ponendum in sufficienti quantitate. Quæ verò fortissime purgant, vt turbith, bryonia, si per se, hoc est nullis additis aliis laxantibus,& in paruis compositionibus, vt in decoctionibus laxatiuis,& syrupis quæ ad vnam dosim dantur, à drag.1.ad drag.2. in magnis multarumque dosium, à drag.3.ad vnc.sem. aut vnc.1. Quod si hæc, vel alia purgantia qualiacunque sint in substantia dentur, quia ipsa magis corpus offendit, quam infusum, vel decoctum, ea ratione, tunc minori quantitate assumi debent. Turbith igitur,si detur in substantia,sufficit drag.sem. in infusione autem quæ quantitatis ergo,media est inter decoctionem,& administrationem eam quæ fit in substantia, drag.1. idque paruis compositionibus, in magnis ἀνάλογον. Cum rhabarbarum duplici substantia constet, terrea videlicet, & aërea, in

Detergentes in cientibus vrinam.

Purgātes.

Fortissimè purgātia.

Purgantia in substantia.

Turbith.

Rhabarbarum du

in hac autẽ purgandi vim ſitam habeat, in illa reſtringendi, rectè fecerunt veteres, qui arte eas conati ſunt ſeparare, vt eam plurimam haberent, cuius egerent ope, eam autem quæ eſſet futura incommoda, ſi non tollerent prorſus, ſaltem minorem multò facerent. Quidam tamen Medicus noſtræ ætatis, alioqui certè doctus, & de literis bene meritus, paralogiſmo conatus eſt oſtendere, rhabarbarum in ſubſtantia, vt vulgo dicitur, hoc eſt nulla ipſius parte diminut, aerea videlicet, aut terrea, multo efficacius fore ad purgandum, quàm ſi infuſum exhiberetur, agens ex hypotheſi, quã à Galeno mutuatur ex libro de Theriaca ad piſonem[c] medicamenta purgantia à tota ſubſtantia purgent, cõſtat rhabarbarum purgare, à tota igitur ſui ſubſtantia ſoluit. Sed quæ à tota ſubſtantia operantur, maius opus efficiunt, vbi plus ſubſtantiæ, quàm vbi minus. Atqui in toto rhabarbaro, longè plus ſubſtãtiæ, quàm in eius diluto ineſt, cùm in hoc ſolum pars tenuis, & aerea, in illo præter hanc, & terrea quoque inſit, erit itaque & plus virium in ſoluendo, plus itaque rhabarbarum tota ſua ſubſtantia exhibitum, quam eius dilutum, mouebit, quod erat probandum. Probandum equidem certè fuerat, ſed vide quam parum probarit, & in hac ratiocinatione ſibi impoſuerit, ex eo quod rhabarbarum purget à tota ſubſtantia, quod apud Galenum eſt determinatum ſibi humorem cum delectu à proprietate occulta, vel à ſimilitudine ſubſtantiæ purgare, vel vt Meſues locutus eſt à cœleſti quadam facultate, concludens, ſi omnes ipſius partes ſeruentur quas ſimul iuncta (vt iam dixi) vulgus appellat totam ſubſtantiam, ipſum ad actionem illam, quæ ab occulta vi dependet, fore robuſtius, & commodius. Sed non vidit ille diuerſitatem ſignificationis, & quomo-

plici ſub-ſtantia cõ-ſtare.

Rhabar-barum in ſubſtantia minus pur-gare quã infuſum.

Quid eſt purgare tota ſub-ſtantia.

do talis vis non sit sita in omnibus simul partibus Hoc enim si esset, vt ad vnam talem actionem vna conspira rent, aliam actionem diuersam non producerent primò & per se. Actiones enim diuersæ, quæ primo & per se fiunt ab vno medicamento, à diuersitate partium oriuntur. Sed sita est talis vis in ea parte quę & ratione, & experientia ad talem actionem cernitur melius nata. Rhabarbaro tribuitur facultas purgandi, & adstringendi, astrictio nonne debetur terreæ portioni, purgatio magis violentæ, hoc est succulentæ, & aëreæ, cum in hac plus sit caloris, qui occultam delectus facultatem iuuat, & efficaciorem facit, contra terrea segniorem, & inertiorem. Et certè me ista tacente experientia hactenus est satis comprobatum. Non quòd dicam expresso succo adstrictionem deperdi prorsus, & residentiæ expressionis purgandi vim, sed eas admodum paucas retineri, idque tantum, quia quæ simul primæ conformationis, & incrementi communis vinculo iuncta sunt, nunquam ita exactè sui separationem patiuntur, quin vnum perpetuo retineat aliquid de ingenio, & indole alterius. Vnde mihi videtur eum verisimilius potuisse argumẽtari, si dixisset in substantia magis purgare, quia nunquam ita potest exprimi succus, quin perpetuo aliquid remaneat in residentia, cuius absentia vim laxandi minuit. Sed neque hoc satis fuisset firmum, quandoquidem eius præsentia, non tantum vtilitatẽ præstare posset, quam tum impedimentum segnities, & obstructio difficultasque penetrandi, quæ à terrea portione aduheretur, præterquam quòd multa fieret adstrictio, qua non est opus in omnibus morbis, imò plerunque valde noxia est. Rhabarbari igitur doses, pro diuersitate modi exhibendi, cuius indicatio sumetur à commodita-

Quæ pars adstringat & quę purget in rhabarbaro.

Rhabarbari doses.

te

te præsenti, tales constituemus. Primum si opus sit leuiter purgare, simul & constringere, in substantia dabitur à scrup. 1. ad drag. 2. Quidam voluerunt à drag. 2. ad drag. 4. sed talem quantitatem non probo, ob molestiam saporis & odoris, & periculum. Nam si vsquam in substantia exhibendum sit, hoc est faciendum in morbis, qui sunt cum fluxu ventris disenterico, vel diarrhæa, sed in talibus, etiam tanta quantitas est periculosa, ob facultatem laxandi, quam habet, præter adstrictionem, paucamque familiaritatem quam habent cum corpore nostro, omnia medicamenta purgantia, & malitiã quę maior est, & pertinacior in portione terrea. Et si quis bene consultum velit ægro, satius ducet rhabarbarum diu infusum, & valde expressum exhibere: sic enim longa infusione diminuetur laxandi vis, & expressione forti terrei plus assumetur ad constringendum, sed mitioris & minus molesti, & maliciosi, satisq; erit dare à drag. se. ad drag. 1. Si quã plurimũ adstringendũ sit, & nihil vel parũ laxandum, vstulatũ dabitur à scrup. 1. ad scrup. 4 ꝙ tamẽ propter empirema, mihi minus arridet, malleq; reiecta priori decoctione, denuo & diu coquere, & tale exihere. Lõga enim coctione absumitur laxandi vis, præterquam ꝙ id quod est magis tenue, & purgans, priori decoctione extractum abiicitur. Si quis ad bilis purgationẽ in febribus det, quia hic est fugienda adstrictio, minus infusum, & leuiter expressum dabit à drag. se. ad drag. 2. vel drag. 3. nec sine ratione hic tanta exhibetur quãtitas, quia parum succi ob leuem expressionẽ trahitur, ne forsan quicquid est trahendo, vna terrei aliquid, & adstringentis sequatur. Verum si per tempus non liceat infundere, leui decoctione perficietur id, quòd lõga infusione opus haberet. Si quis rhabarbarum sy-

rupo, vel alii decoctioni addat ad laxandum, in puluerem redactum in decoctionem feruentem iniiciet, vel in clarificatione apponet ligatum in linteo, frequenter exprimendo, vel in ſyrupo iam perfecto etiam ligatum ſuſpendet, & cum vſus requiret, exprimet, non autem coquet, quia eius ſubſtantia laxans facilè deperderetur ob tenuitatem. Quòd autem tenue ſit, oſtendit magnus ille odor quem habet. Quòd ſi ad conſtringendum adhibeatur, poterit coqui vnà, quantitas autem erit à drag. ſem. ad drag. 2. vel plures, pro quantitate doſium ad quas parabitur compoſitio. Radices amaræ recentes vt helenium à drag. 1. ad vnc. 1. accipiuntur, ſiccæ verò à drag. ſem. ad vnc. ſem. Iridis radix ſi recens, & ad purgationem ponatur, à drag. 2. ad vnc. 1. ſi ſicca ad expectorationē, vel alias affectiones à ſcrup. 1. ad drag. 2. vel drag. 3. vt in eclegmatis, & in antidotis. Nullius ariſtolochiæ radix, neq; item gentianæ, neque alia amara in internis remediis ob amarorem, niſi raro vſurpantur, in antidotis, vel pillulis idque tantum, atque in minori quātitate, vt ſi per ſe ſumantur, & in ſubſtantia, & pro vna doſi à ſcrup. 1. ad ſcrup. 2. cum multo melle, & ſaccharo, vel aliquo ſyrupo dulci, in decoctione vero à drag. ſem. ad drag. 2. vel drag. 3. hoc de omnibus amaris, & odoratis eſt intelligendum. Valerianæ radix, cyperi, galangæ maioris, & minoris, zedoariæ, zingiberis, ben albi, & rubri, & doronici in antidotis, & magnis compoſitionibus, in pulueribus cordialibus, pectoralibus, & aliis remediis internis à ſcrup. 1. ad ſcrup. 4. vel drag. 1. ſe. in externis vero à drag. ſem. ad vnc. ponuntur. Cyclaminis radix recens vim habet purgandi, & vomitum prouocandi, quare in parua quantitate eſt ſumenda, vt ad drag. 1. ſicca autem ad drag. 3. vrinas, & ſudores mouet.

Radices amaræ.

Cyclaminis radix.

mouet. Azari radix vomitum excitat, vrinas mouet, ventrem purgat, si ad drag. 6. assumatur ex aqua mulsa, menses & sudores similiter mouet, sed quia ellebori modo purgat, satius est minorem quantitatem præscribere, vt capite 4. ostensum est. In vnguentis ad aluum subducendam & tumores lienis minuendos ab vnc. sem. ad vnc. 2. poni poterit. Omnia medicamenta, quæ in decoctione iniicuntur, maiori quantitate ponenda sunt, media quantitate, quando infunduntur, in substantia vel alio modo vsurpata, minima quã titate. Radices acres omnes, mordentes, vel detergentes, vel digerentes vt cucumeris agrestis, serpentariæ, iarri, asphodeli, scillæ, cepæ, porri, aliorum, & pancratii ponuntur in cataplasmamatis vnguentis, & aliis externis remediis à 4. sem. ad lib. sem. vel lib. 1. In balneis verò a lib. 1. ad lib. 2. Denique radices omnes in cataplasmatis, & vnguentis, & ablutionibus pedum, & capitis lixiuiis, & fotibus vsurpantur eadẽ quantitate, qua in iniectionibus sunt accipiendæ, vt prius dictum est. Quanquam agaricus radix non sit, sed potius fungus laricis arboris in caudice nascens, vt ἀυτοψία docuit, tamen quia apud Græcos dubium erat, esset ne radix, an fungus ad radices nascens, vel in arborũ caudicibus, ea ratione de eo hoc capite agemus, dicemusque si in decoctione vsurpetur à drag. 1. ad vnc. sem. in infusione à drag. sem. ad drag. 2. in substantia à scrup. 2. ad scrup. 4. vsurpandum. Maiorem autem sui quantitatem non permittit, non quòd habeat aliquam eximiam laxandi vim, sed quia decoctũ, vel infusum vomitionem excitat, in substãtia, propter leuitatem, molem medicamenti auget.

Azari radix.

Radices acres mordentes detergentes digerétes.

Radices in externis.

Agaricus quid sit eiusque dosis.

De dosi herbarum recentium vel siccarum. Cap. 11.

Recentes.

HErbæ, vel recentes, vel siccæ in medicamentis solent vsurpari. Recentes autem fasciculus, vel manipulis pluribus in balneis, in aliis formis, manipulis tantum. In clysteribus quidē paucis, tum in decoctionibus iniectionum, vt vno, vel 2. vel M. sem. vel tertia parte M. 1. vt quando minus conueniunt, vel quando efficacissimæ, vel ingratæ sunt. Siccæ verò in externis, & magnis remediis eadem mensura mensurari possunt, vt in balneis, & lauacris. In aliis autem remediis, vt pulueribus capitalibus, stomachicis, omnibus alarum insperfionibus, vel aliarum partium, quæ ex herbis aliquibus siccis parantur, à drag. 1. ad vnc. sem. vel ad vnc. 1. recipiuntur. Eadem quantitate etiam, in quibusdam fumigiis, vt in iis quæ ad tussim paranter tussilago sicca, & ad fumigia capitis folia rorismarini, ladi cisti origani, imponi possunt. In internis verò, vt in antidotis, colicis, & nephriticis pulueribus cordialibus, & capitalibus, vel qui ad ventrem vel vterum præscribuntur à drag. sem. ad vnc. sem. exhiberi debent. Idem in herbis obseruandum, quod de radicibus dictum est antea, siue aperientes, siue detergentes, siue gratæ, siuæ ingratæ sint: vt aliquando maior, aliquando minor quantitas vsurpetur, pro natura, vel quantitate remedii. In excitando venerem, vtendum est herbis recentibus, vt eruca, & mentha, quia plus habent flatus. Ad flatus verò discutiendos, ad vrinas mouendas, & ad humores attenuandos, siccas eligere conducibilius est, propter humiditatem enim asumptam, ad id efficaciores sunt. Herbæ quæ laxant, magis laxant recentes quàm siccæ,

Siccæ.

Ad venerem excitandam.

Herbæ laxantes.

cæ, vt mercurialis herba, brassica marina, thymelea, chamelæa.

De florum necessaria quantitate Cap. 12.

FLores siccos pondere, & mensura metimur, recentes mensura tantum. Nam in antidotis, & nobilioribus compositionibus, in quibus parua tantũ quantitas recipitur, sicci à scrup. 1. ad drag. 2. admittuntur, vt in pulueribus cordialibus, capitalibus, stomachicis, & vnguentis. In syrupis autem, & apozematis, & aliis decoctionibus à P. sem. ad P. 2. vel 3. vel plures, vt & in balneis, & clysteribus: Sunt enim parum efficaces, nisi in mole magna. Quare in pilulis nunquam vsurpandi sunt, quia augendo molem, vim aliorum medicamentorum minuunt. Sunt tamen præstantiores ob suam tenuitatem partium, ideo vsurpantur in aliis. Recentes, quia efficaces tantum ad refrigerandum, humectandum, & laxandum, in syrupis, & apozematis, & aliis huiusmodi decoctionibus solum immituntur, idque, à P. sem. ad P. plures vel manipulos. Non autem pondere, nisi in conseruis parandis, ad proportionem cum saccharo seruandam.

In antidotis.

In decoctionibus.

In pilulis.

Recentes

De fructuum mensura. Cap. 13.

FRuctus non vno & eodem modo mensurantur, alii enim pondere, alii numero, alii vtroque modo. Fructus igitur magni, integri, & discreti vt pruna, poma, pyra, mala punica, mala cotonea, mespilla, sorbæ ficus, passulæ iuiubæ, sebesten, dactyli, corna, nuces, amygdalæ, auellanæ, & iis fructus similes Numero præscribuntur. Quorum 1 3.4.10.C. vel

Fructus magni, integri & discreti.

vel numero 4.5.6.7.8.15.20.L.& ita deinceps dicimus, exceptis pomis cydoniis,& punicis, quæ ob magnitudinem, ad tantum numerum in præſcriptis nunquam perueniunt. Interdum etiam fructus pondere menſuramus, cum ab iis aliquas partes detrahimus, vel aliquas partes tantum in vſum reuocamus. Vt cũ dici mus, carnium cydoniorum abiectis cortice & gra nis lib. 1. vel corticis malorum granatorum vnc. 3. Vel cum religioſius proportionem miſcendorum ſeruare volumus, vt in ſinapiſmis, in quibus pro vnc. 1. ſe minis ſinapi, aliquando ficuũ lib. ſem. miſcemus,& ali quando lib. 1. Nam ſi numero ficus metiremur, minus certa eſſet proportio, cùm ficus aliæ maiores, aliæ mi nores ſint. Neque hic erratum eſſet leue, ſi enim minus ficuum iuſto, vel plus ſinapi adhiberetur, eſſet periculum vlcerationis. Non minus religionis eſt obſeruandum in maſticatoriis, quæ parantur ficubus, vel paſſulis,& acribus medicamentis, cum idem eadem ratione, qua in ſinapiſmo impendeat periculum. Inter fructus ſunt nonnulli qui ad va rios vſus vſurpari ſolent,& diuerſa mẽſura, pro diuerſitate ſcopi, aut vſus, vt pruna, ſebeſten, tamarindi, quæ bilem extingunt, eamque expurgant, vel partes refrigerant. Quare ſi ad refrigerationem vel ad bilis alterationem vſurpabuntur, paruo numero iniicientur, vt ad paria duo, vel tria, ſi verò ad laxandum, quia imbecilliter laxant, ad paria viginti. Idem facimus de paſſulis,& ficubus, nã ſi ad laxandum, magno numero, ſi ad leuiter detergendum, vel calfaciendum præſcribantur, minori,& hoc de internis remediis eſt intelligendum. Nam in balnea ficus,& paſſulæ iniici poſſunt, ſi detergere,& relaxare ſit animus, maxima quantitate, quia forma remedii,& paucitas virium id poſtulãt, vt ad paria quin qua-

Pondere etiam aliquãdo mẽſurari.

Sinapiſmus.

Maſticatoria.

Quoſdã pro varia & multiplici vi ẽt varia menſura vſurpari.

quaginta. Fructus laxantes, detergentes, & emollientes ad Pa. 10. vel 20. dantur. Refrigerantes, & lenientes in iniectionibus inflammationum, vteri, vesicæ, & intestinorum, decoqui possunt ad Pa. 10. qualia sunt pruna, sebesten, tamarindi. Dulciores fructus, in clysteribus sedantibus dolorem, lenientibus, laxantibus, detergentibus, & vermes deorsum trahentibus, eodẽ numero ponuntur commodè. Nec non adstringentes, in clysteribus ad fluxum ventris, præscribuntur eodem numero, in decoctionibus verò alterantibus, ne obstructiones pariant, minori. Detergentes in laxantibus ad Pa. 20. vel 30. vel 40. poni possunt, in alterantibus ad Pa. 5. vel 6. in decoctis vero pectoralibus, vel syrupis, media quantitate, fructus enim detergentes, in pectoralibus maiori quidẽ numero sunt opus, quam in alterantibus tantum, vt vis medicamenti seruetur, donec ad pulmones peruenerit, minori verò quàm in laxantibus, nam si ęqualis mensura vt aut Pa. 20. aut 30. ponantur, nimium detergendo ventrem laxant, & ad partes superiores non perueniunt. In alterantibus ergo ponantur ad Pa. 5. in laxantibus ad Pa. 20. in pectoralibus ad Pa. 10. vt medius modus seruetur. Quod de passulis, ficubus, iuiubis, sebesten, & dactylis volo intelligi. Horum item fructuum pulpa, ceu caro præscribitur in eclegmatis, opiatis, & cataplasmatis, sed pondere, non numero, quia eorum tãtum pars vsurpatur. Pulpa passularum in opiatis laxantibus ad vnc. 2. in eclegmatis media mensura, in cataplasmatis hepaticis corroborantibus, vel malacticis à 4. sem. ad lib. sem. vel lib. 1. ponitur. Pulpa prunorum dulcium laxantibus tantum medicamentis, & opiatis misceri potest, acidorum in cataplasmatis adstringentibus ventrẽ, vt & alii fructus omnes adstringentes,

Laxantes, detergentes emollientes. Refrigerantes, lenientes. Dulces. Adstringentes. Detergentes in laxantibus. Fructuum pulpa.

gentes, vt pyrorum, pomorum, malorum cotoneorũ à 4. 1. ad lib. 1. Dactylorum pulpa in hepaticis corroborantibus, vel malacticis poni solet ad lib. 1. Capita papaueris vt fructus numeramus, vt ex descriptione Diacodii apud Galenum patet lib. κατὰ τόπους. Fructus minores vt passulæ Corinthaicæ, myrthi fructus, siue baccæ, vel berberis, vel lentisci, vel balsami, vel terebinthi pondere maiore, vel minore, pro scopo, natura, viribus, & forma remediorum vsurpantur, maxima ex parte à drag. 1. ad vnc. 1. Fructus indiscreti, vel cõtusi, vt tamarindi põdere nõ numero mẽsurant. Passulæ vtraq; mensura, dicimus enim passularũ drag. 2. vel 3. interdum passularum Paria 10. 20. 30.

Capita papaueris. *Fructus minores.* *Fructus contusi.*

De seminum dosi seu quantitate. Cap. 14.

Semina semper pondere metimur, sed diuersa, diuerso pro natura ipsorum, & scopo, & forma remediorum. Ea vel calida sunt, vel frigida, & ex iis alia dicuntur maiora, alia minora. Præterea calidorum alia sũt magis grata vt semen anisi, fœniculi, ob id ad drag. 1. vel 2. præscribuntur, vt in pulueribus post pastum: Quæ minus grata sunt ob odorem vel saporem à drag. sem. ad drag. 1. vt semen cumini, seseli Massiliensis, carui, ameos. Sed in multo minori quantitate, quæ magis acria sunt, vt rutæ agrestis, nasturtii, thlaspi. Quæ temperata sunt à drag. 1. ad vnc. 1. in internis remediis poni possunt. In balneis verò, & fotibus, vel clysteribus ab vnc. 1. ad plures. Sunt autẽ huius generis semen maluæ, bismaluæ, lini bombacis. His proximè accedit semen lini, & fœnugræci, sed hoc paulo calidius illo. Semina prouocantia vrinam pro scopo, & sua acrimonia, diuersis ponderibus admi-

Calida grata. *Ingrata.* *Acria.* *Tẽperata.* *Prouocantia vrinã.*

ministrari debẽt, si ad ciendam vrinam dentur à drag. 1.ad drag.3.vel 4 exhibentur, si verò laxantibus permisceantur, ad humoris attenuationem, vel medicamenti deductionem, à scrup.1.ad drag.1. tantum propter rationem quã de aperientibus medicamentis reddidimus. Possent enim impedire, deriuando ad renes, vim medicamenti laxantis. In aperientibus obstructiones, media quantitate poni debent. In arteriacis à scrup.1.ad drag. 1. ne fluxionem sua acrimonia excitent. In bechicis à scrup.1.ad drag.1.tantum, ne pituita resiccata in pulmonibus retineatur, vel etiam sua acrimonia fluxionem excitent. Hæc eadem flatus discutiunt, quæ si polypodio, aut flatum generantibus iungantur, augenda erit dosis à drag.1.ad drag.2. In clysteribus autem & sedantibus dolorem, & aliis colicis remediis, à drag.2.ad drag.6.in antidotis à drag. 1.ad drag.3.decoquuntur. Calidissima auté semina, qualia sunt semina nasturtii, rutæ agrestis, thapsiæ, synapi, erucæ in internis remediis à scrup.1. ad drag. 1. in externis autem à drag.2.ad vnc.1.hęc si decoquantur siue ad internum, siue ad externum remediũ, maior quantitas eorum est necessaria, quàm si tota in puluerẽ redacta assumerentur, potissimũ cùm in aqua simplici decoquuntur. Dosis igitur erit à drag.1.ad drag.3.in externis autem remediis à drag.3.ad vnc.1.sem. vt cũ ex thapsia, & oleo remedium paramus ad alopeciam, pro lib.1.olei, vnc.1.seminis thapsiæ imponimus. Sũt aliqua semina odorata, quæ aliquando fructus appellantur, vt carpobalsamum siue semen, balsami, cardamomum, grana paradysi, cubebæ, piper, quæ iuxta acrium omnium mensuram præscribi debent. Semina frigida alia maiora, alia minora dicuntur, id est alia aliis sunt frigidiora, quę oĩa differũt viribus, sapore, & odore,

In laxantibus.

In aperiẽtibus.

In arteriacis.

In bechicis.

Flatus discutientia.

Calidissima.

Quędã semina etiã fructus appellari.

Frigida.

Frigida minora. odore, & familiaritate. Semina enim frigida minora, refrigerant cum leui quadã adſtrictione, & ſiccant, tanquam amara vtcunque, ob id magis in externis, quàm internis imponi ſolent. In internis autem ponuntur, vt pulueribus à ſcrup. 1. ad drag. 1. & drag. 2. in externis à drag. ſem. ad vnc. ſem. *Frigida maiora.* Semina verò frigida maiora refrigerant, & humectant, eo pacto nihil adſtrictionis habent, ſed potius relaxant partes cõ ſtrictas nimia ſiccitate quam conſtringant, & corpori noſtro magis familiaria ſunt, ſi cortex externus ablatus fuerit, neque antiquitate rancida ſint. Doſis diuerſa erit pro diuerſitate ſcopi, & forma remedii vt in humectantibus, in refrigerantibus, & cientibus vrinam à drag. 2. ad vnc. 1. In pectoralibus verò remediis à drag. ſem. ad drag. 2. vel drag. 3. In laxantibus medicamentis à ſcrup. 1. ad drag. 1. Pro forma autem remedii augentur, vt in cliſteribus ad vnc. ſem. ad vnc. 1. In balneis detergentibus, refrigerantibus, humectantibus ad vnc. 2. ad vnc. 4. vel vnc. 6. Raro in aliis externis remediis vſurpantur, præter oleum quod ex illis paratur. *Quadam frigidorũ eſſemagis familiaria quædã minus.* Semina autem frigida alia aliis magis familiaria ſunt, ob id maiori copia aſſumuntur, & frequentius, vt ſemina papaueris albi magis quàm nigri, ſemina hyoſciami albi potius quàm nigri, vel flaui, idque in ſtupefacientibus, vt in colicis, inſpiſſantibus, & arteriacis à drag. ſem. ad drag. 2. vel drag. 3. In colicis tamen maiori quantitate debent recipi, quàm in aliis, vt ſi quis ſemẽ cicutæ dare vellet, in his & lubentius, & largius, quàm in illis id faceret. *Semen cicutæ.* Licet rarò medicamentis internis inſeratur, eſt enim & ſiccum & adſtringens & venenoſum. Quare non leuiter peccant, *Harmel.* qui in pilulis ad articularem morbum harmel, quod eſt cicutæ ſemen, interpretantur pro ſemine rutæ agre

ſtis

stis quod est Harmala. Sed liberius in externis remediis constringentibus, refrigerantibus, stupefacientibus imponi potest à drag. 1. ad vnc. sem. vt in iis quæ ad mammarum indurationem præscribuntur, intellige de singulis applicationibus, his enim minor copia esset inutilis. Semina aliqua sunt præterea quæ antea odorata diximus quæ fructus etiam dicuntur, vt semẽ myrthi, corymbi hederæ, & similia, vt & nuclei mali granati. Ea mensurantur pondere, verbi gratia, semen hederæ in syrupis cientibus aquas imponi solet à drag. 1. ad vnc. sem. semina myrthi in constringentibus externis, & internis, poni possunt à drag. 1. ad drag. 2. in externis aliquando ab vnc. 1. vt in capitalibus, & in pulueribus adstringentibus ventrem, cataplasmatis, & clisteribus, fotibus, & balneis, augendo vel minuendo dosim pro forma remedii, & scopo. Eadem erit dosis seminum vuarum, quæ omnino similem facultatem habent, & in iisdem remediis imponi possunt. Semina rosarum & in externis, & in internis remediis à drag. 1. ad drag. 2. ponuntur. Semen coriandri inter medicamenta resiccantia reponitur, sed alii calefacere, alii refrigerare existimant. Ego puto semẽ calefacere, vt Galenus existimauit, herbam autem recentem refrigerare, & minus resiccare. Semen calidum est ad primum gradum, & siccum ad secundum est igitur in quibus parum calefacere, & magis resiccare conuenit vsurpandum, vt in pulueribus capitalibus, pulueribus ventriculi, & hoc a drag. 2. ad vnc. 1. In internis autem remediis, a Medicis vsurpatur, vt in pulueribus post pastum ab vnc. 1. ad vnc. 2. sed præparatum aceto, vt effumatio illa, qua caput tentat, & veluti ebrietatem inducit, extinguatur. Acria enim aceto macerata fiunt mitiora, insipida verò eandem acrimo

niam

Harmala.

Mammarum induratio.

Semen hederæ.

Semẽ myrthi.

Semina vuarum.

Semina rosarum.

Semen coriandri.

Herba coriandri.

niam acquirunt. Sed quòd adeo caput tentet, vt Nicander vult, hoc agresti non præparato, vel herbæ ipsi tribuendum potius quam nostro, quo hodie vtimur, quod colitur in hortis, & cultura mitius fit, & maceratione in aceto facta, commodius redditur. Ego in morbis capitis, in quibus vel siccare, vel vim aliorum medicamentorum ad caput ducere oportet, ab vnc. se. ad vnc. 1. soleo iniicere. In morbis factis per consensum, vt in scotomia, & doloribus capitis abstineo, vel ab drag. 1. ad vnc. sem. tantum, aliis multis permixtū & saccharo conditum, ad euitandam illam effumationem, potius, quàm non conditum vsurpo. In externis remediis à drag. 3. ad vnc. 1. Granum tinctorum vulgo appellatum, quod neque granum est, neque semen, sed vesicula quædam qua continentur oua paruorum insectorum, quòd manifestum, nā si aceto non extinguantur, abeunt in paruos papiliones rubros, eaque nascitur tantum in foliis, vel caule, vel trunco vel radice ilicis humilis, propter eius magnam humiditatem, priusquam glandem ferat. Vtuntur Medici huiusmodi grano, in pulueribus capitalibus ad resiccationem, scrup. 1. ad drag. 2. vel drag. 3. vel in sanie grani recentes, sericum tingunt, pro confectione Alkermes paranda. Annumeratur etiam inter ea medicamenta quæ neruos siccant, & consolidant, quare in enhæmis, & conglutin, antibus medicamentis à drag. 2. ad vnc. sem. vel vnc. 1. poni potest.

Quid acetū in acria & in insipida possit.

Granū tinctorum.

Sericū tinctum eius sanie.

De frugibus siue cerealibus. Cap. 15.

FRuges, siue Cerealia in medicamentis internis, & externis, præscribuntur, sed diuersa mensura: nam si integra vsurpentur, Pugillis, vel manipulis mensurantur

rantur, in farinam verò redacta, pondere, vt lib. 1. lib. sem. vel vnc. aliquot, idq́ue maximè si in parua quantitate vsurpentur, vt farina hordei, tritici, aut quæ ex iis parantur, vt amilum, sed si magna earum quantitas foret necessaria nihil impedit eas manipulis metiri, vt semper de furfure fit, siue sit tritici siue aliorum, ob eius vtilitatem, & imbecillitatem. Sunt autem cerealia quibus frequenter vtimur alica, frumentũ siligo, sequale, hordeũ, spelta, auena, miliũ, panicũ, oriza. Quibus adiungi potest fœnugræcũ, ex quo frequenter farina fit, & quamuis inter semina reponatur, eadẽ mensura tamen præscribitur, qua ipsa cerealia siue integrum siue in farinam redactum. Denique cerealia sunt, quæcunque in farinam redacta panis materiam dare possunt. Erit ergo dosis cerealium diuersa, pro diuersitate formarum remediorum. Nam si in balneis vsurpentur integra, vel confracta ad M. plures, in clysteribus, P. 1. vel 2. in decoctionibus verò syruporum, iniectionum, gargarismatum ad P. 1. vel P. sem. Farina autem, si ad cataplasmatum cõpositionem vsurpetur, à lib. 1. ad lib. 2. Si ad inspissationem succi herbarum, quantum sufficit, imponitur, donec mellis consistentiã acquirat, vt in bechico medicamento, aut arteriaco farina hordei, vel amylum à drag. 1. ad drag. 2. vel 3. imponitur.

Amilum.

Furfur.

Quæ dicũtur cerealia.

Farina.

De Leguminibus. Cap. 16.

LEgumina quod manu legantur dicta, vt cerealia mensurantur, nam si integra vsurpentur, M. vel P. metimur, si verò in farinam reducantur, pondere sunt præscribenda. Legumina autem sunt, cicera, lentes, fabe, lupini, orobi, faseoli. Quantitas eorũ ex forma,

Vnde dicantur legumina.

Quæ dicũtur legumina.

ma,& quantitate remedii,& viribus ipſorum,colligitur. Vſurpantur autem in externis & internis remediis,in his quidem integra, veluti in decoctis ad ciendam vrinam,in illis redacta in farinam.

De lignis & corticibus. Cap. 17.

Efficacisſima,odoratisſima,cara.

LIgna non raro à Medicis & vt & alia medicamenta in vſum trahuntur,quorum cum magna ſit varietas, in efficacia, odore vel raritate,varia eſt eorum quoque doſis. Si enim efficacisſima, odoratisſima,vel cara,pondere drag. 1.vt plurimum præſcribuntur, vt lignum aloës & xylobalſamum,& ſantali omnes.Horumque vſus eſt non in internis ſolum,ſed & in externis remediis, vt in antidotis, in pulueribus cordialibus, capitalibus, in vnguentis ventriculi, hepatis, & vteri. Item in epithematis cordis, & ventriculi, in ſuffumigiis etiam vſurpantur,his adiungere poſſumus ebenum, quod in externis vt in collyriis eſt vſui. Ligna autem crasſiora, & minus nobilia, ex quibus decoctiones parantur,vt ligni gaiaci,palmæ ſanctæ,fraxini, tamariſci ramenta maiori pondere vſurpantur, vt ab vnc. 1.ad lib. 1.quando ex iis decoctiones parantur. Corticis nomine integumenta plantarum interna, & externa, & fructuũ putamina cõprehendimus: dicimus enim malorũ granatorũ corticem, & nucum. Quarum corticum differentiæ ſunt multæ, quandoquidem aliæ nobiles,& efficaces,aliæ ignobiies. Nobilium vt cinamomi, thuris,nucis moſchatę doſis erit à ſcrup. 1.ad drag. 3.vel vnc. ſem. Ignobilium arborum, & fructuum, niſi ingratitudo prohibeat ab vnc. 1.ad multas doſis erit vt gaiaci, capparis, fraxini, tamariſci,ſambuci,populi,vlmi, pini, quercus,malorum gra-

Minus nobilia.

Cortices.

Nobiles.

Ignobiles

granatorum nucumque,& suberis. Et in medicamentis adstringentibus, & exsiccantibus eadem copia admisceri possunt, vt cortex pini, quercus, suberis, & nucum, potissimum in externis remediis.

De Cineribus. Cap. 18.

Cineres ex lignis, corticibus, fructibus, lapillis, animalibus iisque integris, vel eorum partibus parantur. Pondere autem solo mensurantur, eoque vario pro forma remedii, & pro sua natura acriori, vel minus acri. Ex iis si conficiantur remedia externa, largiore copia quam si interna, dantur. Intus autem si assumantur abluti, maiori pondere, si verò non abluti, propter acrimoniam, in parciori copia recipi debent, vrunt enim calcis modo. Lixiuium ex aqua & cineribus facimus, verbi gratia, lib. 3. aquæ lib. 1. cinerum infundimus, sacramentorum, & salicis maiorem copiã, brassicæ, & fabarum minorem fumentes, quia hæ magis acres. Omnium antispodiorum, quæ possunt parari ex fructibus adstringentibus, sumitatibus arborũ adstringentium, vt ex myrthi ramis cum fructu oleastri, & similium dosis erit à drag. 1. ad drag. 2. vel à drag 2. ad vnc. 1. in interno remedio quod instituitur ad multas doses. Spodium verò Græcorum est, quod hodie Tuthiam vocant barbari. Corallium porrò vrimus, vt tenuitatem partium acquirat, & siccitatem, vstum autem in externis remediis à drag. 2. ad vnc. 1. imponi potest, in internis, & deuorandis à scrup. 1. ad drag. 2. In dentifriciis à drag. 3. ad vnc. sem. aut ab vnc. 1. ad vnc. 2. Cineres hirundinum, vel cuculi, vel vermium, vel intestinorum gallinæ, ad doloré, & ventriculi humectarionem. Lupi autem vel cornu cerui,

Abluti. Lixiuium. Antispodia. Spodium. Coralliũ. Dẽtifrici. Cineres animaliũ.

interno aliquo alio remedio assumuntur. Dosis erit à drag. 1 ad drag. 2. vel a drag. 2. ad vnc. 1. pro multis dosibus. Cæterum vruntur testacea marina, & ossa animalium, sed ea calcis naturam referunt. Quo fit vt eorum tantum vsus parcior sit vsurpandus. Verum quia sequenti capite de animalium dosi, & cinerũ quæ ex iis fiunt, sermo ex professo instituitur, plura hoc loco de iis non esse dicenda videntur.

De animalium dosi & partium eorum. Cap. 29.

Animalia quorum vsus ad medicamenta conueniens est, interdum tota, vel eorum partes aliquæ tantum vsurpantur, vel vna tantum, vel duabus partibus remotis, aliquando vna tantum pars eligitur. Vermes toti recipiuntur in oleo de vermibus, totique vruntur, cum ex eis cineres conficere opus est. Idem de scorpionibus vsu venit, toti enim & vruntur, & in oleum recipiuntur. Idem de hirundinibus & cicadis sentiendum, cuculis, & passerculis, troglodytis, & caudis tremulis. Viperę quinetiam totæ vrũtur, vel ad trochiscorum qui ab his de nominantur præparationem, caput, cauda, pellis, ossa, & interiora omnia eiiciuntur, carnes vero retinentur cum iure. Quæ integra vsurpantur uumero frequentius mensurantur: quæ vero mutilata aliqua parte sui, & numero, & pondere, quanquam nihil prohibet etiam integra animalia, si minora sint pondere metiri, vt cimices, asellos, siue centipedes, & Blattas, Cantharides aliquando totæ vt in vesicatoriis, imponuntur, & in quibusdam aliis internis remediis, quanquam neoterici, alas & pedes auferunt semper, quod aliarum partium

Integra vsta.

Canthari des.

tium antidota dicantur si Dioscoridi credimus. Partes animalium siue maiores sint, siue minores, etiam liquidiores, vt fel', penduntur omnes: item quæ vstæ sunt, vel alio modo præparatæ, dosis earũ erit à drag. sem. ad drag. 1. Quæ minus ingratæ sunt, vel parum efficaces à drag. 1. ad drag. 3. vel drag. 4. præscribi possunt, vt rasura eboris, vel cornu capræ, vel cerui, vel cineres ossium astragali leporis, rasura vnicornis, quæ quia carius emitur, minori pondere datur, vt alia medicamenta pretiosa, quanquam eius vis neque maior, neque certior sit ea quæ est eboris, aut cornu cerui. Partes autem quæ acres, aut fœtidæ, aut nimium odoratæ sunt, in internis remediis à G. 2. ad scrup. 1. vel 2. vel ad drag. 1. admisceri possunt. Cuius generis sunt castoreum, moscus, ambra, ciueta, tum quia acria sunt, & pretiosa. In externis verò remediis potest eorum augeri quantitas. Intestina lupi, & gallinæ in furno vruntur, & a drag. 1. ad drag. 2. per se, vel cum vino propinantur. Sed si opiatis, & pulueribus inserantur ad vnc. 1. vel 2. imponi possunt, propterea quod ad multas doses componuntur Ex pulmone etiã vulpis & hepate lupi non rarò remedia comparãtur, sed quia ingrata, & male olentia, minus placẽt, siccata in furno à scrup. sem. ad drag. 1. imponimus ad drag. 2. vero si aliis odoratis admisceantur. Excrementorũ alia aliis sunt efficaciora, & magis acria, ob id diuersa præscribuntur mensura, vt stercus gallinarũ aduersus fungos à dra. 1. ad drag. 2. stercus colũbarũ à drag. se. ad dra. 1. Idẽ de stercore sturni. Imò in externis remediis hæc ab vnc. se. ad vn 2. vel plures possunt ĩperari. Stercus ouis, & capræ & boũ põdere nec mẽsura eadẽ præscribuntur: stercus enim ouis in cataplasmatis ab vn. 2. ad vnc. 6. stercus verò caprarũ, ad vnc. 4. at vaccæ

Partes animalium.

Nõ ingratæ & parum efficaces.

Acres aut fætidæ aut nimium odoratæ.

Excrementa.

stercus ad lib. 1. vel plus, habita semper ratione quantitatis remediorum, & partis cui applicabuntur. Fella, vt acrimonia, & consistentia differunt, sic etiã pondere: fel enim auium, cum minus acre, tenuimus autẽ felle quadrupedum sit, acrius vero, sed minus tenue felle piscium, fellis quadrupedum dosis erit drag. 1. auium drag. 2. piscium verò drag. 3. Cornua, quia dura sunt, vel vruntur vt ostracea, vel lima raduntur in tenuissimas partes, earum dosis erit à drag. 1. ad drag. 3. vel 4. Saporis enim & odoris ferè sunt, proindeque omnis alterius efficaciæ expertia nisi in resiccando valere multum deprehenderetur. Quamuis etiam nõ nihil refrigerare possint, & quibusdam quadam antipathia serpentes fugare, & vermes credantur. Non me autem latet, plures facultates dari ab iis qui vendunt, vt & rasuræ vnicornis quam auro pendunt, propterea quod venenis vt plurimum aduersetur, quod nõ minus præstare cornu cerui, rasuramque eboris existimo. Et quemadmodum cornu capræ, eandem vim habere dicitur cum cornu cerui: sic certe rasura eboris, cum cornu vnicornis, vt experientia docet. Quare pauperibus ea quæ minus cara & preciosa sunt, dentur, diuitibus autem (quibus nihil carum esse potest) vnicornis imperetur. Cuius dosis erit à G. 6. ad drag. sem. vel drag. 1. Testæ similiter ostreorum, mitulorum, concharum venerearum quas vulgus gallicum Pourcelaines appellat, purpurarum, buccinarum, & aliorum ostreorum, item cancrorum marinorum, & fluuiatilium, vruntur, vt facilius in partes tenuissimas reduci possint, earum dosis à drag. 1. ad drag. 2. vel 3. si vsta extincta sint aqua, vel si abluta fuerint, in externis autem remediis ab vnc. sem. ad vnc. 2. Nacra quæ aliàs mater perlarum dicitur non male pro vnionibus,

Fella. *Cornua.* *Testa.* *Nacra.*

nibus, & margaritis vsurpari posse videtur, idque nõ temere cum easdem vires inesse vtrisq; & ratio quod sint eiusdem animalis partes, & ex eadem materia pro creatæ, & experientia qua id à me comprobatum est persuaserit, affirmare audeo: Dosim autem statuo à scrup. 1. ad drag. 1. vel 2. in antidotis pauperum, quia vili pretio venditur. Vniones vero, & perlas, siue margaritas, quas vsus in antidotis & pulueribus cordialibus, & quibusdam collyriis recipit à scrup. 1. ad drag. 2. assumo, parumq; perforatas aut non perforatas esse curo. Cęterum quoniam aliquarum partium dosis exactiorem doctrinam requirit, ea ratione peculiaris de illis sermo instituendus esse videtur.

De Sanguine. Cap. 20.

A Sanguine autem animalium exordiemur cuius non minus quam aliorum excrementorum, vel partium in medicamentis, tum internis, tum externis, frequens est vsus, sed diuersa proportione pro diuersa virium facultatumque quas vniuscuiusque animalis sanguis obtinet ratione. Sanguis enim anatis & anseris, cum valeat aduersus venena, tum sanguis testitudinis marinę, & terrestris, & hœdi recipiuntur in antidoto ex sanguinibus ad drag. 2. Atque etiam in antidoto illa tantoperè celebrata, ad omnes internos affectus, & descripta lib. 2. de antidotis à Galeno supra dictorum animalium sanguis ad drag. 7. admittitur, quia magna est compositio. Sanguis hirci cuius ad lapidem comminuendum magna est vtilitas à drag. 1. sem. ad drag. 3. vel ad drag. 6. præscribitur. Sanguis item testitudinis marinæ ad epilepsiam ad drag. 2. datur. Testitudinis vero terrestris ad hecticam impe-

In internis.

ratur recens, & crudus ad vnc. 1. & hoc faciunt nostræ mulieres, quia actu frigidus est, & quadam refrigerandi vi, humectandiq́ue præditus est. Decoctum tamen carnis eius, mihi magis humectare, licet minus refrigerare, videtur. Atque hæc de sanguinis in medicamentis internis assumendis præscribenda mensura dicta sunt. Eius verò qui externa medicamenta subit mensuram quantitatemq́ue definire nullo modo necesse est, sed ea arbitrio & necessitati relinquenda. Vt cum ad vulnera recentia oculorum sanguinem columbæ, vel turturis imperamus, guttas aliquas in oculum iniiciendas monemus. Et cùm fluentem sanguinem sistere volumus, quamuis alii sanguinem biliosum imperent, quia talis minus est emplasticæ facultatis particeps, ideo pituitosum, & viscosum malumus, exsiccatum, & in puluerem crassumredactū, eius quantum sufficit pro parte læsa sinapisanda imperantes. In emplastris autem vsurpamus eam quantitatē quæ necessaria est ad puluerem excipiendum, vt in emplastro de pelle arietina fit Sanguine porrò ranarum, vespertilionum, & similium psilotra conficimus, eiusq́ue quantitatem quam volumus præscribimus, si qua autem inæqualitate in proportione illorum deprehendatur, non alia ratione fit, quàm quòd non liceat ęqualem horum animalium sanguinis copiam habere. Rana enim viridis parum sauguinis habet, vt & vespertilio, tunnus autem multum. Quare in eo loco in quo haberi potest, maiori quantitate vsurpamus.

In externis.

Pituitosū biliosō in fluxib⁹ sā guinis sistēdis prę stare.

Ranæ viridis.

De vrina Cap. 21.

VRina animalium in remediis externis admouendis quam in internis conuenientius admittitur: quia

quia vilia, & abominanda remedia ex recrementis vesicæ, & alui parata à Galeno lib. 7. Simplicium improbantur. Scribonius tamen Largus vrinam apri ad epilepsiam commendat. Rustici, & mulierculæ vrinam puerorum sanis, & ægris dant bibendam ad pestis præcautionem: vt vrinam mulæ, ad sterilitatem inducendam, aliqui turpiter & sceleste bibendam mulieribus præbuerunt. Hominis verò, ad aquam intercutem, vel venenum, rustici similiter assumunt, idque alia ratione mihi facere non videntur, nisi quod vim detersoriam eandem quam serum habeat. Quare in affectibus in quibus conuenit serum, vrina pueri præscribi potest, idque rusticis & ignobilioribus tantum. In clysteribus autem, quæ dantur ad detergendam pituitam, & ad appetentiam comparandam & conciliandã inijcitur ad pondus vnc. 4. si cum aliis detur, si verò per se ad lib. 1. Ad multa porrò remedia paranda, vrina pueri impubis ab antiquis vsurpata est, ad eam quantitatem, quæ necessaria est pro externo remedio, vt in resolutione, ab argento viuo, in qua affectione tantum eius assumimus: quantum necesse est pro magnitudine partis resolutæ.

Vrina apri.
Ad pestis præcautionem.
Ad sterilitaté inducendam.
Vrinæ vires.
Vrina pueri impubis

De Sero lactis. Cap. 22.

SErum lactis, vrinæ proportione respondet & reuera, eadem est substantia, nisi quod minus fœtidum, & abhominabile est, propterea quod à sanguine in renibus non fuit separatum, ob quam separationem excrementorum naturam accipit, fętorem scilicet, habent enim minus calidi innati ob idque facilè putrescunt. Ex eo instituuntur remedia vt clysteres & iniectiones in vterum, & vesiam. Ad decoctiones

Differétia seri & vrinæ.
Vnde fœtor excrementorũ

Quomodo debeat dari ad purgationem.

nes autem faciendas, vsurpatur quantum sufficit ad de
coquendas herbas. Vel per se bibitur ad purgationē
vel detersionem. Qua in re non satis est semel, sed
per multos dies eius vsum experiri. ita vt primo die
vnc. 4. assumantur & his quotidie superaddatur vnc.
1. donec ad lib. 1. vel vnc. 10. deuentum sit. Tunc de
maiore quantitate licebit eodē modo ἀνάπαλιν singu
lis diebus vnc. 1. demere, donec redeatur ad primam
quantitatem. Si quando autem eo ad purgationem
vti velimus. Id potentius præstabit si sub dio perno-
ctauerit: nocturni enim rores habent vim subducen-
di aluum. Quam ob id impertire fructibus ante exor
tum solis collectis, deprehenduntur. Quin etiam suc-
cum rosarum vel fumiterræ vel absinthii ad ichorum
purgationem testulę admiscemus, vel flores tantum,
aut ipsas herbas contusas maceramus in eo, per totam
noctem, & sic præparatum exhibemus. Delicatis ta-
men, ob amarorem admixtarum herbarū, mellis vel
sacchari addi quantum ad potionis amarorem tempe-
randum, & ad gratiam sapori conciliandam sufficere
videbitur, præcipimus.

Nocturni rores.

De Lacte. Cap. 23.

Ad purgationē vel detersionem.

LAC asinæ, si ad purgationem propinatur, vel de-
tersionem, eadem mensura qua serum lactis prę
scribendum est. Si verò ad nutritionem, ne turbet ven
trem, minori copia, & chalybeatum, vt & camelinum
ad drag. 4. tantum. Lac verò muliebre, & vaccæ im-
peratur ad lib. sem. ouis, & capræ, media quantitas
dari potest inter lac asinæ, & mulieris. Iis autem qui
lactis potu assueti sunt, licet quantum erit animo
assumere, obseruatis semper iis quæ ab Hyppocra-
te

Ad nutritionem.

te enumerantur in aphorismis.

De Coagulo, & butyro. Cap. 24.

COagulum pondere castorei datur, à G. 1. videlicet ad G. 12. pro vna dosi, idque in internis remediis, extra verò maiori copia requiritur, vt à scrup. 1. ad drag. 1. Butyrum similiter in externis, & internis remediis admitti consueuit, ex eo enim Looch conficiuntur, dupla quantitate sacchari addita. Eius proinde dosis est ab vnc. sem. ad 4. sem. non enim assumitur vna dosi, sed quantum baculo glycyrhizæ apprehendi potest, lambendo, vel quantitate fabæ. In linimentis, vnguentis, acopis suppurantibus, mollientibus, & relaxantibus ab vnc. 1. ad multas vnc. apponi solet, pro quantitate remedii.

Butyrum. Quãdo assumantur Looch.

De Apide, & Seuo. Cap. 25.

ADeps, & seuum differunt consistentia, & temperamento, calefaciunt tamen ambo, sed seuum exsiccat, & minus relaxat. Axungia verò & relaxat, & humectat propter humiditatem quam habet maiorem. Seuum porrò est, quod ex animalibus cornigeris colligitur, & in duriorem consistentiam concrescit, quam axungia, eo quod magis siccæ terreæque substantiæ particeps existat. Axungia vero, siue pinguedo est omnium aliorum animalium, vt hominis, porci, vrsi, gallinæ, anseris, anatis & piscium. Seuum ergo vsurpatur in vnguentis vlcerum internorum, & externorum, ab vnc. sem. ad vnc. 1. vt in disenteria, in reliquis autem vnguentis, pari vel maiore quantitate. At pinguedo, siue axungia in linimentis, & vnguentis

Differẽtia seui & adipis.

Seuũ quid est.

Axungia quid est.

guentis

guentis relaxantibus,& emollientibus ab vnc.sem.ad vnc.3.vel 4 pro quantitate remedii. Axungiam tamē porci à lib.sem.ad lib.1.in vnguentum ad morbū gallicum, præscribimus.

De medulla. Cap. 26.

MEdulla seruat proportionem axungiæ, vel seui, ob id eadem mensura præscribi potest, nisi quia minor medullæ nobis copia suppetit, maior autem inopia proinde parcior mensura eius vsurpāda, quam axungiæ.

De Resinis & picibus. Cap. 27.

Earum diuisio.

MVltæ arbores Resinam fundunt, terebinthus terebinthinam, lentiscus masticheu, abies abiethinam, pinus pinæam, larix laricæam, cypressus cypressæam, picea, eam quam etiam picæam possumus appellare. Quarum partitio, præter colorem, & partium tenuitatem, talis esse potest ratione consistentiæ, quòd ex ea ponderis diuersitas potissimum sumatur, vt vna partitionis extremitas, liquidas siue humidas vt pinæam, liquidiores vt abietinam, liquidissimas vt laricæam obtineat, altera vero siccas siue duras vt cupresinam, duriores vt terebinthinam, durissimas vt mastichen, picæa ferè in medio est, cum liquiditate enim valde spissa est, & picosa. Diuersitas autē ponderis, ratione scopi, affectus & formæ remedii, talis est. Si assumantur per se quę liquidę sunt vt larycæa, & abietina à scrup.1.ad drag.2.vel 3.exhibemus, cū dolorē leuare consilii nostri est, & detergere renes, si aluum subducere à drag.2.ad vnc.sem. In emplastris,

plastris, & vnguentis ab vnc. sem. ad vnc. 1. vel plures. Nā cùm emplastrum, vel vnguentū ex viscosis, vel emplasticis conficiatur, sufficiet pauca quantitas liquidæ resinæ, quæ efficit vt adhærere possit: si autem ex oleis tantum, spissiores resinæ eligendæ sunt, & in maiori quantitate vsurpandæ, si verò ex aridis, magis viscosæ resinæ eligi debent, & in maiori quantitate. Augetur etiā, vel minuitur eorum quantitas pro scopi ratione. Nam si ad sedationem doloris medicamentum acopū paretur, abietina vel laricea imponitur ad plures vncias. In suppurantibus, vel emollientibus vnguentis, maior quantitas poni debet, quàm in sarcoticis, vel potius mastiche, & resina fricta, vel vulgo appellata colophonia. De pice idem sentiendum, quæ cum ex iisdē arboribus, à quibus resinæ siccæ decidūt, trahatur, præparatione tantū ab iis differt, quòd resina sponte fluat vulnerata arbore, pix autem igne extrahatur. Ea duplex est, sicca, & liquida, quæ licet alioqui commoda, & efficax, ad multos morbos sit, & deportatu æquè facilis ac resinæ liquidæ: hodie tamen, ignorantia ne, an incuria medicorum neglecta iaceat, magno ægrotantium incommodo, nescio. Ergo, cùm siccam solam passim habeamus, in externis, quam internis, in emplastris quam vnguentis iisque suppurantibus, vel trahentibus, & sedantibus dolorem, & picationibus, meliori est vsui. In vnguentis, & emplastris vlterum, pix deresa è nauibus magna quantitate vsurpari potest, quia magis siccat. Omnium in externis remediis dosis est ab vnc. se. ad vnc. 1. vel plures. In internis quoque remediis, nostri rustici picem vsurpare solent, vt ad sanguinem concretum dissoluendum qua in re tantum valet, quantum mummia arabum; si redacta in puluerem in ouo sorbili exhibeatur,

In emplastris.

Colophonia.

Pices vnde.

Liquida pix.

beatur, à drag.ſem.ad drag.1.vel duas aſſumi poteſt. Ea non minus vti poſſumus ad expectorationẽ quam liquidis reſinis, eademque doſi. In eclegmatis eadem menſura, & quia eclegma elingitur paulatim, & magna copia ejus paratur, pro quãtitate remedii plus vel minus accipiatur, vt in vnguentis etiam faciendum, omnibus deniq; iis quæ ad plures doſes præparantur, & aſſeruantur.

In Eclegmatis.

De Oleis. Cap. 28.

OLeum de genere internorum & externorum remediorum eſt, in cuius ſpeciebus magnæ diſſimilitudines reperiũtur propter oleorum varietatem. Quò fit vt oleo non vna tantum debeat aſſcribi menſura, ſed ea diuerſa pro natura eius quo vti volumus & pro medicamenti forma, & ſcopo, vel aliorum quę miſcenda ſunt. Oleum enim commune per ſe, vel cũ aliis commixtum vſurpatur, vt in clyſteribus, quod ſi ſolum, à lib.ſem.ad lib.1.ſem.iniici debet, pro corporis, magnitudine, & ventris plenitudine. In puero, & in tumore magno alicuius internæ partis, vt vteri, veſicæ, renum, & inteſtinorum lib.ſem. dabitur tantum. Verum ſi venter vacuus, & abſque tumore aliquo, lib.1.ſem. erit opus, vt cum etiam altius peruenire volumus. In ſedatione doloris lib.1.ſufficit, etiam ſi actio dependeat ab oleo potisſimum. Miſcetur etiã vino, vel decocto, & tunc æquis partibus iniici debet ana ℥.1.paruo corpori: maiori autem ana lib. ſem. vt in colico dolore, ad doloris ſedationem.. Si ad durorum recrementorum mollitionem, vel ad inteſtinorum humectationem vtile ſit, ad vnc. 3. poni debet. Idem de omnibus oleis temperatis ſentiendum eſt, vt de

Cõmune in clyſteribus.

Olea temperata.

de oleo chamæmelino, amygdalarum liliorum, & seminis lini. Aliorum verò oleorum multum calfacientium, tertia pars sufficiet supra dictæ dosis, vel dimidia, nisi morbus extremus esset, in quo licebit communem dosim vsurpare ad vnc. 3. Minuitur verò quantitas olei, quando ex decocto pingui clyster paratur, vel quando butyrum, vel axungia porci admiscetur. In externis vero remediis, oleum quod scopo, vel parti magis accomodatum est, vsurpatur. Si autē vnum tantum vsurpetur, nihil refert quam quantitatem præscribamus, modo sufficiat ad partes inungēdas. Quod si diuersa olea commiscenda sint, seruanda est illa proportio, quam superius monstrauimus de aliis medicamentis, scilicet æquali proportione, si ex æquo conueniant, esse miscenda, inæquali autem, si non ex æquo, vt in augumento inflammationem, in quo solemus oleum rosatum oleo chamomeli admiscere. In principio plus olei rosati, & minus chamomelini accipimus, deinde vice versa, vt si primum tres partes olei rosati, vnam olei chamomelini accipiamus, tandem vni olei rosati tres chamomelini miscebimus. Si vero miscentur ceræ, vt melius hereant parti, & ad continēda alia ne diffluāt, pro vnc. 2. olei ceræ vnc. sem. addimus, vt sit quadruplum olei. Si fiat ex axungiis liquefactis, non minuenda est quantitas ceræ, quia axungia oleo mixta non concrescit, si ex seuo, quia consistentiā habet terream, & spissam, minui potest quantitas ceræ: vt etiam si medulla animalium cornu gerentium adiungatur. Oleum in vnguentis, etiam ea proportione ponitur, vt addantur drag. 2. ceræ pro vnc. 1. olei. In ceratto vero, seruant contrariam ptoportionem, quàm in linimento, nam pro vnc. sem. olei, ceræ vetustæ, & duræ vnc. 1. adduntur. Nec mirum sit, si

In externis.

In augumento inflāmationum.

Ceræ admixtum.

In vnguētis.

In cerato.

In linimēto.

ceræ

ceræ in linimento, & vnguento eadem, ponatur quan-
titas, quandoquidem linimentum præter olea, axun-
gias, vel resinas liquidas, vel butyrum, vnguẽtum præ
ter ceram, pulueres recipiant vt plurimum. In empla
stro aliquando æqualis mensura olei, & ceræ vel eius
rei quæ ceræ vices gerit, datur. Si emplastrum fiat
ex decoctione herbarum, radicum, vel seminum, pro
lib. 1. olei M. 1. herbarum iniici potest. Quod si in de
coctione sit aliquod viscidum, vt radix althææ, ceræ
quantitas minui potest. Sustrahentur etiam vnc. ali-
quot à lib. 1. olei, si in regione calida, aut tempore ca-
lido emplastrum paretur, aut aliqua terebinthina im-
ponatur, aut lacryma liquida, vel fel liquidius. Au-
getur autem olei quantitas, si hyeme fiat compositio:
nec non si cerusa, vel lithargyrium sine aqua vel aceto
diutius sint decoquenda, absumitur enim longa coctu
ra oleum, vt si pix vel colophonia ceræ addantur, nam
pro regione, fine, & tempore, & iis quæ admiscentur
vnà, ceræ quantitas mutatur. Quare difficillimum
est ceræ quantitatem certam, vel olei imperare. Quod
si emplastrum siccius redditum fuerit, ob admixtionẽ
picis siccæ, vel puluerum aliquorum, terebinthinę pa-
rum addere oportet, vel ceræ quantitatem augere, &
olei. Si vero axungia aliqua addatur, olei quantitas
est minuenda, vel ceræ quantitas augenda ad dimi-
dium, addit. Eadem proportio seruanda est, cum iis
quæ ceræ vices gerunt, vt cum propolide, & ladano.
Vt si sola propolis miscenda oleo sit, & mollior, æqua
li vtriusque quantitate fiet, si verò siccior, & durior,
minuenda quantitas propolis, vel augenda quantitas
olei. Oleum in maiori quantitate ponendum, si me-
tallicis aridis, vel acribus misceatur, quia hæc multũ
olei ebibunt, tum vt eorum frangatur acrimonia. De-
nique

In emplastro.

Ceræ vices gerentia.

In metallicis aridis, vel acribus.

nique augendum,vel minuendum pro consistentia, vel natura miscendorum, vel pro fine, & scopo. Nam si ad sedandum dolorem, vel emolliendum, vel relaxandum plus olei: si verò ad constringendum, vel siccandum minus ponendum est.

De Ceræ dosi. Cap. 29.

CEra in externis, magis quam internis apponi solet, quanquam non desinit, qui pilulas ex cera cõficiant, & Dioscorides cum iure sorbili præcipiat, in vlceribus intestinorum. Non quælibet autem cera sine delectu est vsurpanda, cum aliqua sit quæ arte paretur, vt alba, & hæc, quia durior, ad excipiendos pulueres ponitur in masticatoriis, verũ in suffumigiis, quando ex lignis, & aridis fiunt, flaua & pinguior. Earum dosis est quantum sufficit ad excipienda alia medicamenta. Eligitur autem mollior, in ceratis, vnguentis, & emplastris, ad consistentiã, & liquidorũ inspissationẽ: & hoc diuersa mensura, vt de oleo dictũ est, pro forma diuersa remediorum, & pro miscendorum materia, scopo, & intentione. In linimentis verò ad olea retinenda sufficit illa quantitas drag. 2 ceræ pro vnc. 1. olei. In vngentis eadem proportio seruatur, vt dictum est, & insuper drag. 1. puluerum vnc. 1. olei additur. spissat enim puluis, & vnguentum crassius reddit. In cerato maior additur quantitas cære, potissimum si nihil ad inspissandum addatur. Sed hæc omnes ex præcedenti capite, cum huius & illius separatu difficilis sit doctrina, ob subiectorum conuenientiam, satis sunt nota.

Pilulæ ex cera.

Alba.

Flaua.

Mollis.

De Aceto Cap. 30.

ACetum in multis remediis internis & externis apponitur, vt in externis ad repellendum, vel ad penetrationẽ medicamentorũ. Si autẽ ad penetrationẽ, sufficit guttas aliquot tẽpore inunctionis addere vnguẽtis. In perfusionibus capitis, aut irrigationibus, maior quãtitas addenda, pro natura morbi, aut scopo. Nã si Oxyrhodinũ paretur ad dolorẽ capitis, vel ad phrenitim, sufficit vnc. se. pro vnc. 3. olei rosati. Si verò in principio lethargi, aut alterius affectionis soporiferæ, ponatur vnc. 1. se. pro vnc. 3. olei erit necessaria, quandoquidẽ acetũ sua acrimonia, & siccitate vigilias excitat, & sua partium tenuitate incidit, & attenuat. Inflammationibus verò ad Oxycratum faciendum, vel Oxymel, vel Syrupum acetosum simplicem, tantum aquæ miscendum vt bibi possit. Quare relinquẽdũ est iudicio pharmacopolę: nã pro natura aceti plus aut minus aquæ additur, cum aliud alio sit acidius & acrius.

Ad penetrationẽ.

Oxyrodinum.

Vires aceti.

De Sacharo Cap. 31.

SAccharum, Mel, & Sappa, multorum remediorum materia sunt: ponuntur enim in medicamentis ad formam inducendam, vel ad gratiam, vel ad conseruationem admiscentur: quare de singulis particulatim erit dicendum. Sacchari quantitas varia est, pro fine, ceu scopo, & pro remedii forma, & pro natura eorum quibus admiscetur: alia enim quantitas in syrupis, alia in tabellis, alia in pulueribus, alia in opiatis, alia in eclegmatis, ponitur. In syrupis quidem paratis ex amaris, acidis, & acribus ad maiorem gratiam, maior quantitas requiritur, multo maior, si ex succo paretur, vel

Quãtitas sacchari.

In sirupis

vel diutius seruandus sit. Quod videre licet in syrupis de buglossa, qui ex succi buglossæ depurati lib. 4. sacchari lib. 3. paratur. Si ex succo apii fœniculi, & similium, æquali proportione miscetur saccharum. Si vero ex succo efficaciore, & magis acri, in maiori quã titate poni debet, vt si ex succo limonum, vel citri paretur syrupus, succi lib. 1. sem. addere oportet, sacchari lib. 3. Si vero ex infusionibus florum non laxantium æquali mensura, vt si ex floribus nenupharis paretur, & similibus. Si vero ex multis infusionibus florum laxantium, & lenientium syrupus paretur, lib. 1 infusionis superare debet quantitatem sacchari, vt si infusionis lib. 5. ponantur, sacchari tantum lib. 4. adhibendæ erunt, ne vis laxandi impediatur, aut minuatur. In electuariis alia mensura obseruatur, proque natura miscendorum puluerũ augetur, vel minuitur ipsius quantitas. Si puluis gratus sit, quales sunt cordiales, stomachici, & capitales intrinseci, pro drag. 1. pulueris, sacchari in aqua dissoluti, & cocti drag. 1. addimus. Si efficacior sit, & minus gratus puluis, maiorem sacchari copiam addimus, ad gratiam. Si vero puluis laxatiuus sit, pro drag. 1. sem. pulueris sacchari drag. 1. imponimus, quod respondet rationi quæ est inter lib. 1. sacchari, & eam puluerum quantitatem, quæ est ab vnc. 2. ad vnc. 3. In conditis additur sacchari parum, si conseruæ odoratæ sunt, vt in conserua rosarum, violarum, & capillorum Veneris. Si vero amaræ, vt conseruæ florum cichorii. Enulæ campanæ, si acres vt anthos, stœcados, saluiæ, vnc. sem. sacchari pro drag. 1. conseruarum imponenda. Quod si ex conseruis, & pulueribus fiant, seruanda erit proportio pulueris, & sacchari, habita ratione conseruarum, quod faciendum quoque est in tabellis paratis ex pulueribus, con-

In electuariis.

In cõditis.

In opiatis

In ecleg-matis.

In pulue-ribus.

seruis, & aqua. In opiatis raro saccharum ponimus, nisi quando sirupus ingratus est sapore: tunc enim ad gratiam inducendam iniicitur. In eclegmatis expectorantibus, & detergentibus ponitur in larga quantitate, quia per se conuenit affectui. In pulueribus acribus vt ex pipere, & zinzibere, pro drag. I. pulueris vnc. I. sacchari additur, in dulcibus vnc. sem. maxime quando glycyrrhizam, aut anisum puluis recipit. Si vero ex insipidis, vt ex cineribus, vel cortice cucurbitæ, paruam quantitatem sacchari imponimus, nisi quãdo dulcem facere volumus. Multum facit, ad quantitatem sacchari conuenientem inueniendam, præter scopum remedii, etiam sacchari natura. Nam in pulueribus capitalibus, & detergentibus, vt supradictum est, liberalius saccharum additur, aut si humectandum potius quàm exsiccãdum, aut laxandum potius quam constringendum. Quod autem natura sacchari augendam vel minuendam indicet quãtitatem, inde est, quòd multæ sint sacchari differentiæ. Est enim aliud candum arte factum, aliud defæcatissimum & candidum, aliud quod rubrum dicitur, fæculentum, & ad mellis naturam accedens, aliud quod rosatum tabulatum appellatur. Horum delectum habere oportet, & quantitatem augere vel minuere, pro eo quod erit opus. Nam saccharum candum, cùm extergendum est, aut expectorandum, aut siccandum, eligitur, & minori quantitate miscetur, quia potenter id facit. Saccharum illud candidissimum, defæcatissimumque, minus deterget, & minus siccat saccharo cando, minusq; humectat, & deterget saccharo rubro. Saccharum vero rosatum tabulatum minus calfacit, magis siccat, atque plus constringit propter aquam rosaceam, quare in fluxu ventris, vomitibus, ac distillationibus sistendis

Natura sacchari spectãda.

Candum.

Candidissimum.

Rubrum.

Rosatũ tabulatum.

dis conuenientius est. Tempus assumptionis quantitatem auget, vel minuit, vt & natura morborum. Nam si à cibo puluis præscribatur, minorem decet esse quantitatem sacchari, vt si ad effectus vteri, aut ad morbũ flatulentum, aut ad vomitionem, nihil aut parum sacchari addere oportet, vel saccharum rosatum tabulatum. In pulueribus autem, & in remediis assumendis ante cibum, saccharum candidum, vel candum, in magna quantitate ponitur ad detergendum, vel relaxandum. In morbis flatulentis parum aut nihil, siue ante siue post cibum exhibeatur, quoniam flatus semper auget. In clysteribus laxantibus, vel detergentibus saccharum rubrum ponitur ab vnc. sem. ad vnc. 2. vel vnc. 3. in disenteria verò saccharum rosatum tabulatum, vice mellis rosati, tutius ponitur.

Tẽpus assumptionis spectãdum.

In clysteribus.

De mellis quantitate. Cap. 32.

MElle vtebantur antiqui, antequam sacchari sufficientem quantitatem haberent, verũ postea-quam ratio copiosioris extrahendi sacchari adinuenta est, factaque palata hominum delicatiora, neglecto melle sacchari vsum introduxerunt in multis remediorum formis, vt in sirupis, confectionibus, eclegmatis, in aliis deniq; quamplurimis, sunt enim eiusdẽ ferè facultatis, potissimum saccharum rubrum & mel magis tamen deterget mel. Saccharum verò gratius est, & aptius ad aliquas formas inducendas, vt ad electuaria sicca, & dura conficienda. Citius enim quàm mel, exsiccatur, & induratur, & siccatum, & induratum facilius dissoluitur, & masticatur. Sunt tamen quæ mel postulant potius, remedia aliqua, alia verò quæ saccharum, alia mel & saccharum simul admittunt. Antidota cum melle parantur, quorum descriptiones

Saccharũ primũ non fuisse passim vsui.

Cui saccharo mel simile sit.

Saccharo quædã potius parari.

Mel quibusdã magis conuenire.

tiones nobis ab antiquis relictæ sunt, quanquam, nihil vetaret, etiam cum saccharo vino dissoluto illa parare. Item colica etiam cum melle componuntur. Item sirupi aliqui cum melle similiter, vt qui ad effectus pituitosos, quales sunt de Stœchade, de Artemisia imperantur, & alii pectorales ex melle & saccharo conficiuntur. Mellis porrò quantitas eadem erit quæ sacchari rubri, in omnibus, in quibus mel conuenit, vel ad dulcedinem inducendam, vt in amaris compositionibus, vel ad conseruationem, vt in conseruis venerē prouocantibus, quæ melle potius quam saccharo parari debent, vel quia sua facultate iuuat, vt in gargarismis, & aliis detergentibus remediis. Aliqui volunt, in antidotis, & confectionibus, pro lib. 1. mellis pulueris vnc. 2. addi. alii vnc. 3. alii vnc. 4. alii 5. vel 6. Galenus 7. Sed tres posteriores doses efficaciora, & vehementiora remedia faciunt, prima autem debiliora, media igitur erit tutissima. Sed nos puluerum saporem, & odorem considerandum esse ducimus, vt si puluis valde sit amarus vel admodum acris, ponatur illa magna quantitas, præterquam in compositionibus laxantibus, & antidotis, in quibus materia non debet medicaméti vim extinguere, vel minuere, oportet enim antidota vehementissima esse, ob morbi vehementiam: tunc quia his frequenter non vtimur. Adde quòd facilius est addere pulueri mel, quam iam mixtum detrahere, vel puluerem antidotis adiungere, cum mellis copia semper suppetat, pulueris non item. Quare pharmacopolæ iudicio relinquendum est, nisi quando propter aliquas occasiones pharmacopolæ incognitas, religiosius dosim, & proportionem seruare volumus.

Mellis quantitas.

Cōpositiones laxantes & antidota.

De

De Sappa. Cap. 33.

Sappa in sirupis quibusdam pectoralibus, & compositionibus aliis frequenter ponitur, vt in compositione Diacodii apud Galenum ex Sappa parata. Deterget enim, & dulcis est, minusque defluxiones excitat quam mel, ob minorem facultatem detergendi. Eadem erit quantitas sacchari, mellis, & sappæ.

Sappa efficacitas.

De Metallicis, & Mineralibus. Cap. 34.

Mineralia hic voco, quæcunque ex terra effodiuntur. Metallica verò quæ præterea possunt liquefieri concreta. Hæc omnia ponderibus diuersis metimur, pro eorum efficacia, & acrimonia. Quæ ergo parum efficacia sunt, magna copia imponi debent. Quæ autem possunt liquari, & emplasticam vim habent, in emplastris vices materiæ gerere possunt, vt lythargyrum, plumbago, & cerussa, hæc ab vnc. 1. ad lib. sem. vel lib. 1. vel plures imponimus. Quæ autem summæ sunt efficacitatis à drag. 1. ad vnc. 1. Quæ verò acriora sunt ex sese, vel ob vstionem, minori rursus quantitate imponi debent, vt ærugo, æs vstum, flos æris, diphryges etiam minori quantitate, vt à drag. sem. ad drag. 2. Quæ ex vstione acria sunt, si abluantur post vstionem, maiori copia erunt ponenda quam antea, si verò vsta fuerint, & non abluta, vt dictum fuit. Parum acria vt plumbum non vstum, sed longa trituratione in tenuem puluerem redactum, item pompholyx, tuthia, lithargyrum, cerusa, denique quæ sine morsu siccant, à dragm. 1. ad vnc. 1. ponuntur: possunt tamen maiori quantitate vsurpari. Mineralia verò vt sulphur, chalcitis, alumen, chalcanthum, sanda-

Quid sint

Emplasticæ.

Acria.

Parũ acria

Mineralia

racha, hæc omnia cum sint acerrima, non nisi in fortioribus remediis sunt vsurpanda. Caustica, vt sandaracha, chalcitis, chalcantum, & chrysocolla à scrup. se. ad scrup. 1. per se imponuntur, si vero mitioribus admiscentur ad drag. 1. Realgal vero, quia acerrimum est, in externis tantũ vsurpatur ad quãtitatẽ grani hordei, alumẽ verò, & sulphur minus periculosa sunt, quæ si in internis ponantur à scrup. se. ad scrup. 1. si verò in externis à drag. se. ad drag. 1. vel plures dari possunt.

Caustica.

Realgal.

De Argento viuo & sublimato. Cap. 35.

ARgentum viuum quia efficacissimum est, diuersa mensura præscribitur, nam si ad resiccationem tantum, siue prouocationem sudorum vt in scabie, vel pediculari morbo, sufficit vnc sem. pro vnc. 4. vnguenti cui admiscetur, si vero ad sudores mouendos, vt in morbo gallico non inueterato, & pro corpore tenui, vel debili vnc. 1. pro 4. satis erit. In fortioribus vero naturis, & morbo inueterato, pro 4. 1. aliorũ quæ vnguentum conficiunt, ponitur ab vnc. 1. sem. ad vnc. 2. Sublimatum mensuratur ad drag. 1. vel drag. 2. in externis remediis, si ad resiccationem tantum, & ad arrosionem, vt in carbunculo, vel in vlceribus putridis. Eadem quantitate accipietur si per se, & in substantia ponatur, si vero vnguentis addatur, ad carnis putridæ arrosionem, pro vnc. 1. vnguenti à drag. 1. ad drag. 2. potissimum si basiliconi, vel aliis pinguibus, & oleosis admiscetur, quod si aliis vnguentis arrodentibus, minor quãtitas addetur à G. 5. ad G. 6. pro vnc. 1. aquæ, vel vnc. sem. vnguenti.

In morbo gallico nõ inueterato.

In morbo gallico inueterato.

Sublimatum.

De lapidibus. Cap. 36.

LApides diuersis mensuris metimur, vt de metallicis dictum est, sunt enim aliqui preciosi, & rari, vt hyacinthus, saphyrus, smaragdus, hæc parua quantitate debent accipi; quia in parua mole durissimam, & valde defæcatam materiam habẽt, ob idque valde efficacem, ob efficacitatem autem solam id fieri certum est, cum fragmenta minus chara sint, quæ in pulueribus cordialibus ad vnam dosim, solent vsurpari tantum à scrup. sem. ad drag. 1. Sunt aliqui efficaciores, quique acrimoniam quandum habent, ob id periculosi, vt lapis armenus, & cyaneus. Ii pro diuersitate scopi, & præparationis ratione, alio atque alio pondere mensurantur. Nam si in cordialibus ponatur lapis lazuli, vt in compositione alkermes vritur vt chalcitis, & frequentius abluitur vt cadmia, & minori quãtitate ponitur, quàm non vstus, & ablutus, & quam in medicamentis laxantibus, quare in cordialibus à Gr. 7. ad scrup. sem. pro vna dosi, in laxantibus verò medicamentis à drag. 1. ad drag. 2. sem. si per se, & vna dosi assumatur in compositionibus maioribus, maiori copia, pro earum videlicet quantitate, vt videre est in confectione Alkermes, & pilulis de quinque generibus myrobalanorum, indis & pilulis de lapide lazuli, in quibus ponitur, ad purgationem melancholiæ, lotus, tamen hi lapides sunt naturæ veratri, qui si in minima quantitate sumuntur, in ventriculo remorantur, eumque exulcerant, si in paulo maiori quantitate, ventrem mouent, & purgant, multamque vtilitatem præstant. Lapides vero nulla acrimonia præditi, vt lapis iudaicus, & lapis lincis à drag. sem. ad drag. 1. vel duas, magis enim pondere suo calculos detur-

Pretiosi.

Eorũ materia.

Acres.

Lapis lazuli.

Lapillorũ quorundã natura.

Nõ acres.

Quavi cal culos deturbent.

deturbant, quàm proprietate occulta, ob id, si tenuissimè triturentur, & maiori quantitate assumantur ex vino albo, vel aqua graminis, aut aliqua substantia tenui quæ penetret ad renes, magno vtilique erunt vsui.

De Terra. Cap. 37.

Nō acris.

TErra medicamentosa eo pondere mensurari debet, quo lapides, nam si acris sit, vt ocra vsta, à scrup. 1. ad drag. sem. alia autem quæ sine acrimonia est, vt sigillata, rubrica fabrilis, bolus armena, à drag. sem. ad drag. 2. Marina, siue quæ ex mari petuntur, si naturam lapidis referant, pondere lapidum, aut terræ mensurabuntur, vt corallum rubrum, & album, testæ, ostreorum, concharum, purpurarum, & buccinarum, os sepiæ & mitulorum. Si vero marina acria sint, à scrup. 1. ad drag. 1. vel drag. 2. ponuntur, talia sunt alcyonii genera, & flos salis, ossa magnorum piscium, vt siluri vel lucii, quibus in puluerem redactis vtimur, nec non loco spodii eorum cineribus, quorum pondus, cineres ossium eorum animalium quæ in terra degunt, imitatur à scrup. 1. ad drag. 2.

Marina:

Acria.

De quantitate laxantium medicamentorum, tam simplicium quàm compositorum Cap. 38.

Difficilius esse cōpositorū quā simpliciū quātitaté.

QVantitatem medicamentorum iustam inuenire nimium esse difficilè, superius monstrauimus, at tamen facilius est in simplicibus medicamentis, quam in compositis simplicia enim si bona sint, ferè eodem modo operantur, at compositiones tunc maiorē, nunc minorem suam vim reddunt: hoc autem euenit ob diuersam

uersam compositionis descriptionem, aut ob diuersam præparationem, aut ob aliquorum, aut omnium simplicium deprauationem, vt in Catholico videre licet: possunt enim in eo infiniti errores committi, vt potest pretermitti polypodium, vel senna, vel rhabarbarum. vel possunt simplicia sine effectu esse, aut vitiosa, idque vetustate, vel alia ratione: alia enim minus triturata sunt, aut magis, propter quam diuersitatem magis aut minus operantur, vt de azaro superius dictum fuit, quod fortiter trituratum vrinas mouet, crassius ventrem laxat, alia incocta, alia minus cocta, ex iis omnibus immutatur vis medicamenti compositi. Quare vtilius est simplicibus vti, quàm malè præparatis compositionibus: possumus enim quod non licet in his, priusquam parentur illa, eorum delectum facere, vt rhabarbari, mannæ, cassiæ, diacridii, eaque optimè præparare. Nos tamen, vbi simplicia aliquot fuerimus persequuti, præparatarum etiam compositionũ communem dosim indicabimus, quam augere, vel minuere ex superius monstratis, poterit Medicus. De rhabarbari quantitate, obiter superius monstratum fuit, siue in decoctione, siue in substantia, siue in infusione ponatur, vt de esulæ quantitate, turbit, agarici, & polypodii, cum de radicum quantitate agere mus. Nunc de diacridii, scammonii, colocynthidis, mannæ, & aliorum medicamentorum dosi, agendum est. Laxãtia medicamenta, quæ sua humiditate, vel viscidita te laxant, vel sua dulcedine, in magna quantitate administrari, debẽt, vt ab vnc. 1. ad vnc. 1. sem. talia sunt pruna, sebesten, tamarindi siue oxyphœnici, muccilago psilii, cassia, manna. Quæ verò sua acrimonia, nõ leuiter laxant, à G. 2. ad G. 12. poni debent, vt diacridium, scammonium, colocynthis, euphorbium & elaterium.

Vndetalis difficultas

Rhab.

Esulæ turbit agari polyp.

Laxantia vel humiditate ve viscidita te vel d cedine.

Laxãtia a crimonia

terium. Quæ vel astringendo, vel quæ sua substantia mediocriter laxant, vt agaricus, aloë, myrobalani, omnia, media quantitate dantur, sed quo certiores sint studiosi, de eorum singulorum agemus dosi. Cassiæ dosis, per se, si recens sit, est à drag. 3. ad vnc. 1. si per os assumatur. Nam experientia sæpe comprobaui, ob largam humiditatem, tunc superpurgationem facere, si in clysteribus, ab vnc. 1. ad vnc. 2. poterit dari, si non recens ab vnc. sem. ad vnc. 1. sem. vel ad vnc. 2. secundum aliquos: quæ tamen quantitas mihi videtur esse nimia. Tamarindi per se, pro vna dosi, à drag. 4. ad vnc. 1. vel vnc. 1. sem. vsurpantur: non enim magis laxant quàm pruna acida. In apozemate bilem laxante, aut aliis medicamentis permixti, ab vnc. 1. ad vnc. 2. In sirupo detergente, aut refrigerante à drag. 3 ad vnc. sem. Myxa numero mensuramus, si integra sint, in apozemate quidem laxante Pa. 20. in alterante verò ad Pa. 2. vel 3. Pulpa sebesten, ab vnc. 1. datur ad vnc. 1. sem. Prunorum dulcium eadem quantitas est, vt sebesten. Acida pruna, vt tamarindi, mensurantur, siue ad alterandum, siue ad laxandum, siue cum passulis, & ficubus ad detersionem, ponantur, ad Pa. 5. vt superius monstratum est, sunt ponenda. Myrobalani omnes ex diuersis substantiis sunt, ob id diuersas habent facultates, laxant enim, & adstringunt, & detergent, vt rhabarbarum. Quare separandæ sunt istæ substantiæ, pro diuersa intentione, verum multo difficilius separantur, quam in rhabarbaro, quia rhabarbarum rarũ est, myrobalani verò densæ sunt, & aëream substantiam terreæ magis permixtam habent, separantur autem infusione, aut leui coctione. Dosis ergo myrobalanorum erit pro diuersa compositione, & materia. Chebularũ dosis est, in substãtia à dra. 2. ad vnc.

se.

Laxantia adstringẽdo. *Cassiæ dosis.* *Tamarindorum.* *Myxorũ.* *Prunorũ dulcium.* *Acidorũ.* *Myrobalanos diuersis cõstare substãtiis.* *Myrobalanorũ doses.* *Chebulani.*

se.in infusione verò ab vnc.se.in infusione verò ab vn. se.ad 1.se.si per se sumãtur. Indarũ eadẽ dosis est. Emblicarũ dosis est à drag.3.ad drag.4.vel 5. in substantia, in infusione verò ab vnc.sem.ad vnc. 1. Bellericæ eadem dosi mensurantur. Citrinæ verò in substantia à drag.2.ad drag.4. Infusæ verò à drag.3.ad dra. 10. sed raro dantur nisi infusæ,& decoctæ,per se. In substantia verò in disenteria tantum,& aliis alui fluxionibus, in quibus, non nisi in principio, damus illam magnam quantitatem,cum corpus inanitũ non est. Si decoquantur,in maiori quantitate drag. 1.quam in infusione dandæ sunt, quia minuitur vis laxandi decoctione.

Indarum.
Emblicarum.
Bellericaruu.
Citrinarũ

Aloe vario pondere recipitur : si enim pilulis materia sit ab vnc.sem.ad vnc.1.ponetur in massa, in substãtia verò pro vna dosi per se à drag. 1.sem.ad drag.2. in infusione verò à drag.1.ad drag.3. Decoquitur etiã à nõ nullis sed id leuiter faciendũ est,& in magna quantitate,si ad morbum gallicũ præscribatur : habet enim facultatem potentissimè exsiccandi, & hæc de non lota sunt intelligenda. Lota enim in multo maiore quantitate, si ad laxandum detur : si autem ad siccandũ,vel corroborandum,minori. Lotionẽ verò intelligo quæ fit cum aqua simplici saltem aliquo humido non laxante;vt fit in pilulis ælephanginis,in quibus aloe aqua,in qua odorata decocta sunt, abluitur. Si enim in decoctione aliqua laxante ablueretur, vt succo rosarum, minuenda esset quantitas. Manna vt casia mensuratur, secundum alios à drag. 6. ad drag 25. Senna in substantia a drag.2.ad vnc. sem. decocta autem a dra. .ad drag.1. Raro infunditur, quia muccilaginosam infusionem reddit, quare si infundi debeat, non diu, sed in aqua calida id faciendum, eadem quantitate qua decoquitur, si ad morbum gallicum detur, sola in

Aloe.
Aloes lotio.
Manna dosis.
Sennæ.
Epithymi & Cuscutæ.

in dectione Gaiaci ab vnc.sem.ad vnc. 1.sem.poni debet. Epithymus, & cuscuta in substantia à drag.2.ad drag.7.in decoctione verò à drag.5. ad drag.20. ponitur, & hoc hyeme fit, nam æstate minori quantitate sunt danda, quia acria, & valde sicca. Lapidis cyanei, & armeni dosis dicta est inter lapides. Scammonii dosis est à G.5. ad G.12. per se, ad aliorum verò agitationem à G.2.ad G.5. Diacridium, quod antiquis erat lacryma scammonii dissecta, hodie scammonium coctum, maiori quantitate vsurpari potest, quia eius vis & tenuitas imminuta est, coctura in malo cotoneo facta, & ita imminuta aliquando, vt nihil ei supersit virium. Euhorbii à G.2. ad G.3. & secundum alios à G.4.ad G.12.quarum prima est tutior, quia secunda nimium calfacit, & propemodum inflammat, & fortiter subuertendo vomitionem prouocat. Castorei dosis maior esse potest, quàm euphorbii, quare ad G. 12. vsurpari potest. Colocynthidis à G.12.ad G.20.cum per se exhibetur, quod tamen raro fit, ob amarorem, & exulcerandi vim, quare tutior erit vsus Trochiscorum alandal. Trochiscorum autem alandal dosis est, si per se sumantur à G.6.ad G.12.Catholicum & Diaprunis simplex ferè eadem dosi dantur qua cassia, siue per os, siue per clysterem sumantur. Diaprunis verò solutiui dosis est à drag.2.ad vnc.sem. Diaphœnici, à drag.2.ad drag.5. Electuarii de psillo, à drag.3. ad drag.4.sem. Confectionis hameck, à drag.2.ad vnc. sem vel ad drag.6. Electuarii de succo rosarum, à dra. 2.ad drag.5. Diacarthami, & Electuarii de citro solutiui, eadem mensura à drag.1.sem.ad drag.6. Indũ maius, à drag.2.ad drag.6.datur. Benedicta, & Hiera simplex à drag. 3. ad drag.5. quanquam Hiera ab vnc.sem.ad vnc.1.dari possit, minus enim laxat quam

Bene-

Marginalia: Lapidis cyanei & armeni. Scamonii dosis. Diacridii euphorbii Castorei Colocinthidis. Trochiscorũ alãdal. Catholici Diaprunis simplicis. Diaprunis solutiui. Diaphœnici. Electuarii de psillio. Cõfectionis hamek Electuarii de succo rosarum. Diacarthami electuarii de citro solutiui. Indi maioris. Benedictæ, Hieræ simplicis.

Benedicta. Quod aliqui scripserunt à drag. 1. ad drag. 1. sem. hoc fortè de pilulis intellexerunt, vel de pulueribus, in quibus nihil mellis est quod molem augeat. In clysteribus à dra. 6. ad vnc. 1. sem. vel vnc. 2. si aliis medicamentis admisceantur, si per se sola ponantur, vt in nephritico dolore, ab vnc. 1. ad vnc. 2. in primo clystere. In aliis autem ad vnc. se. tantum, laxat enim, & discutit flatus, dixi in primo clystere, ad stercora illa indurata vacuanda, sed in sequentibus non est ponenda tanta quantitas, ne acrimonia dolorem exci-tet. Aliarum compositionum laxantium dosis erit similis compositionibus traditis hactenus, si eundem humorem purgent, & eandem quantitatem diacridii, vel scammonii, vel colocynthidis acceperint, ab his enim, magna ex parte sumitur quantitas medicamenti laxantis.

A quibus simplicibus laxantiũ cõpositorũ quãtitas potissimũ desumatur.

De Dosi pilularum. Cap. 39.

Pilularum dosis ferè eadem est. Imbecilliorum enim quarum segnior in agendo vis est, portio magna est imperanda. Cui non imparem fortioribus, quas magni morbi tantum postulant, sed fortè eandem audacter tribuimus. Inter eas autem mediis mediam, quæ non multum tamen à maxima recedat. Pilularum imbecilliorum numero Aelephanginas, de Hiera simplici, Sebellinas, Stomachicas comprehendimus, quæ à scrup. 1. ad drag. 2. præscribuntur. Hæ tamen interdum quidem vna vel duabus horis ante cibum sumuntnr, sed minori quantitate, scilicet à scrup. 1. ad drag. sem. ne si magis mouerent, cibi concoctionem interpellarent, post cibum autem, à scrup. 1. ad drag. 1. vel 2. Pilulæ porrò de rhabarbaro, & sine quibus,

Imbecilliores.

bus, & de Hermodactylis, & alię quæ paucum diacridii recipiunt, & quæ, ob magnam myrobalanorum quantitatem, minus validę sunt, præscribuntur a scrup. 1. ad drag. 1. vel secundum Mesuem a drag. 1. ad drag. 2. sed hæ longè a cibo sumendæ. Paulo autem fortiores, siue mediæ, quales sunt Aggregatiuæ, de Sarcocolla, de Agarico a scrup. sem. ad scrup. 4. Fortissimæ vero & vehementissimæ vt pilulæ de Lapide lazuli, Lucis maiores, & minores, Fœtidæ maiores, & minores, de Euphorbio, Cochæ, Indæ, Aureæ, & quæcunque elleborum, vel colocynthin, vel lapidem lazuli recipiunt a scrup. 1. ad drag. 1. vel scrup. 4. Hæc est hodie facientium medicinam cõmunis dosis: olim enim Galenus pilulas 15. dedit, pilularum ex colocynthide, quarum pondus minus esse non potuit dragm. 2. Quod si ad maximam quantitatem illam veniendum sit, quia molestum est ægrotantibus tot pilulas vna vice deuorare, vtile fore censeo mediã dosim inter magnam & paruam assumere, addendo diacridii, vel Trochiscorum alandal, ad supplendum id quod detraximus de mole, G. 5. 6. 7. vel 10. secundum vires ægri. Quod si drag. 1. harum pilularum, ob difficultatem ægrorum, tantum vsurpemus, plus diacridii in biliosis morbis. Trochiscorum verò alandal in pituitosis addemus, & melancholicis, vel lapidis lazuli tantundem. Animaduerte, fortissimarum pilularum minimam quantitatem esse scrup. 1. quia si minor assumeretur, exagitaret ventrem, & non purgaret, & nõ euacuando magis offenderent corpus, & quam pilulæ imbecillæ, aut mediæ.

Fortiores siue mediæ.

Fortissimæ.

Minima Fortissimarũ pilularũ quantitas.

De Syrupis. Cap. 40.

SIruporum coctorum ad perfectionem non laxantium,

tium, excalfacientium, refrigerantium, humectantiũ, ſiccantium, lenientium. incraſſantium, vel incidentiũ dosis erit à drag.6. ad vnc. 2. cum dupla proportione aquarum, vel decocti. Tales ſunt ſirupi endiuiæ, Violaceus, Capillorum Veneris, de Bizantiis, & de Stœchade. Laxantes autem, vt ſirupus roſatus laxatiuus Violaceus ex multis infuſionibus, de fumo terræ, de Cichorio compoſitus cum rhabarbaro, de Epitîtymo, & de Thymo, hi omnes dantur ab vnc. 1. ſem. ad vnc. 4. ſi per ſe ſumantur, cum aliqua quantitate aquæ affectui accomodatæ, vel cum decoctione aliqua. Quòd ſi decocto laxatiua ſit, ſirupus poni poteſt minori pondere, ſin minus quantitas aquæ minuenda, & ea vſurpanda quæ ſufficiet ad ſirupum ſpiſſum diluendum, vt commodius bibi poſſit. Si decoctio, vel aqua iuuet aliqua ex parte actionẽ medicamenti, vel incidendo, vel attenuẽdo humores, vel aperiendo obſtructiones, vel ad caſtigationẽ alicuius vitii, ſemper pro qualibet vn. ſiruporũ, addatur aquarũ vnc. ſem. Timenda enim eſt maior quantitas in medicamentis laxantibus, quia vomitionẽ excitant. Sirupo roſato laxatiuo, in principio febriũ, & in affectionibus in quibus obſtructiones ad ſunt, aqua graminis, & capillorum veneris. In affectibus verò pituitoſis, aqua apii, vel petroſelini. Si ob affectũ ventriculi, additur ęquali cũ ſirupo quãtitate, decoctũ vel aqua abſinthii, ſed tutius datur aqua quã decoctũ, quòd illa diſtillatione partes terreas, & craſſas dimittat. In affectibus capitis, & neruorũ cũ aqua betonicæ, vt in affectibus thoracis, cum aqua decoctionis glycyrrhizæ, vel hyſſopi, cõmodè exhibetur. In decocto autẽ mercurialis, vel ſennæ in melãcholicis affectibus, & cũ magis laxare volumus, ęquali mẽſura ponitur, vt cum pituitã magis purgare deſideramus, cũ de-

Laxantes.

Decoctio laxatiua.

Decoctio iuuans ſirupum.

Sirupus roſatus laxatiuus.

Sirupus papaueris

cocto carthami syrupus papaueris ab vnc.sem. ad vn. 1. cum aquis lactucæ, & violarum, aut nenupharis, æquali pondere datur, sine aliquo puluere cordiali, aut exsiccante, poteſtque dari talis quantitas, etiam quando apponitur Oxyrrhodinum capiti, aut cum naribus iniicitur narcoticum aliquod, aut cum abluuntur pedes decocto refrigerante, ea enim quantitas sufficit, eiusmodi remediis refrigerantibus, capiti appositis, sine medicamentis autem somnum conciliantibus extrinsecus appositis, dari poteſt ab vnc. 1. ad vnc. 2. in magna difficultate, & in ea dosi apponuntur pulueres cordiales à scrup. 1. ad drag. 1. vt confectio alkermes in melancholicis affectibus, aut in iis morbis, in quibus calor natiuus languidus eſt, ipsiusque extinctioné pertimescimus. Diarrhodon abbatis, cum nimiã ventriculi refrigerationem timemus: Diairis simplex, cũ retentionem materiæ expectorandę, aquam graminis, cum nimiam obſtructionem, aut aquam capillorum veneris, vel tertiam partem sirupi eiusdem, cùm retentionem, vel nimiam incrassationem materię veremur. Aquæ violarum, & buglossæ, in omnibus affectibus addi possunt. Sirupus hic tanta quantitate cum magna præcautione, & pręmeditatione dandus eſt, quia pharmacopolæ hunc sirupum parant cum semine pauaueris albi, & nigri, vnde in valde debilibus vel ætate, vel morbo, somnus profondus inducitur, natiuusq́, calor, hoc eſt vita extinguitur. Sirupus in opiatis, & ad pulueres excipiendos, & ad dulcorandum, & vt efficaciores reddantur, ponitur, sicut in electuariis, & potionibus cordialibus. Quare illis scopis accommodatiores vsurpantur, vt in opiatis, vel remediis ad melancholiam. Sirupus de pomis, in remediis ad pectus, sirupus capillorum veneris, in remediis ventriculi, sirupus

Prudenter esse exhibendum.

Sirupi aliis cõpositionibus miscẽtur.

pus conseruationis corticum citri, si iuuanda sit concoctio, & non ad constringendum. Si ad constringendum, sirupus conseruationis myrobalanorum, vt in læuitate, & laxitate ventriculi, & intestinorum accõmodatior erit, vel si fortius id prȩstandum, sirupus de cydonis, & in capitalibus, sirupus de stœchade, si ad venerem, sirupus conseruæ radicum Iringiorum, vel Zingiberis, vel Satyrionis, vel Nucum conditarum, quantitas horum est, quod sufficit ad excipiendum in opiatis. In potionibus verò cordialibus, aut aliis, dosis est vnc. sem. vel vnc. 1. Siruporum expectorantiũ, & inspissantiũ, si eclegmatis modo assumantur, quantitas erit cochlear vnum, si verò bibantur, dosis erit vnc. 1. vel vnc. 2. vt superius de sirupo de papauere dictũ est, nisi quod liberalius expectorantes dare possumus quã inspissantes: minus. n. sũt periculosi. Expectorantes sunt sirupus de hissopo, de Glycyrrhiza, de Marrubio. Inspissantes aũt, sirupus de papauere de iuiubis, violatus. Sirupus de papauere summè id facit, de iuiubis mediocriter: de violis, debiliter quare augẽda erit dosis, secũdũ quod minus efficaces sunt, & opus erit.

De Oxymelite. Cap. 41.

Oxymel aliud simplex est, aliud compositum, cõpositum autẽ aliud aperiens, aliud laxans, aliud detergens. Oxymel omne sequitur dosim siruporum similium. Oxymel simplex, eadem quantitate qua sumitur sirupus acerosus, ab vnc. 1. ad vnc. 2. in præparantibus remediis. In potionibus verò ad vnc. 1. vt in prouocantibus vrinas, & comminuentibus calculum, si eclegmatis modo sumatur, mensura cochlearis. Itẽ oxymel detergens, quale est scilliticum, eadem mensura

Cõpositũ

Simplex

Detergẽ

Diureticũ ſura accipitur, prçterea Oxymel diureticum. Oxymel
Laxans. verò laxans, vt Iuliani, aliorum more laxantium ſiru-
ruporum ſumitur, addendo aquas, vel decocta, vt de ſirupis dictum fuit, ſi craſſius ſit, ſi dilutius, ſine aquis, & ſine decoctione.

De Pulueribus. Cap. 42.

PVlueres cordiales, ſtomachici, cerebrales, pectorales menſurantur ſecundum ſuam efficaciã, vel ſecundum formam remediorum, aut ſecundum ea quibus admiſcentur vel ſecundum ſcopum, vel ſecundum diuerſam præparationem. Pulueres omnes qui ſuauiores ſunt, ſi in brodio, vel aqua aliqua excipiantur, à ſcrup. 1. ad drag. 1. ſumi debent, vt puluis diamargaritonis frigidi, Diaſantali, Diarrhodon abbatis, Aromatici roſati. Efficaciores autẽ à ſcrup. ſe. ad ſcrup. 2. vt puluis diacameron, de Gemmis puluis confectionis alkermes in forma opiatæ, pluſquam in tabellis, & conditis. Si vino admiſcẽtur, vel aquis efficacioribus, vt aquç vitæ, tũc minuitur doſis, quia citius ad cor perueniunt, & multũ afficiunt. Pulueres cordiales ſuauiores in potionibus cordialibus à drag. ſe. ad dra. 1. cũ vnc. 4. aquarũ, & vnc. 1. ſirupi ſumũtur. Si verò potionibus ad humectãdũ, vel refrigerãdũ, vel conciliandũ ſomnũ parentur drag. ſe. ſufficet, ſi modo abſq; ſirupo de papauere dentur, tũc enim ad drag. 1. imponi poſſunt, ad obtundendã ſirupi nimiã vim. Verũ cũ aliis ſirupis, & aquis, adeo magna quantitas, humectationis, vel refrigerationis actioné impediret. In eclegmatis, & pectoralibus remediis ponuntur pulueres, Diatragacanthi, incraſſantibus à drag. 1. ad drag. 3. In expectorãtibus leuiter, Diairis ſimplicis à drag. ſe. ad drag. 1. vel drag.

(Marginal notes: Suauiores — Efficaciores. — Cordiales)

drag. 2. Diairis salomonis, à scru. se. ad vnc. se. augēdo vel minnendo pro forma remedii. Pulueres in instauratiuis addūtur ea proportione, qua in opiatis, vel pro vnc. 1. decoctionis capi, puluerum cordialium drag. 1. imponimus.

De Confectionibus. Cap. 43.

Confectiones cordiales etiam mensura præscribū tur, qua & pulueres, nisi quòd paulo maiore, ob sirupum additum, vel saccharū, vt cōfectio aromatici rosati, & confectio alkermes dosis erit à scrup. 1. ad drag. 1. vel à scrup. 2. ad drag. 1. se. Cōfectionis alker mes varia est dosis, pro intētione diuersa, & varia præ paratione, nā si ex lapide lazuli assato paretur, ad viriū corroborationem, à drag. se. ad drag. 1. dabitur, si verò ex eodē lapide tantū abluto, & nō assato, à scru. se. ad scrup. 1. ad viriū etiā corroboratione, cùm nulla est fluxus ventris suspicio. Cū ventrem mouere volumus, & à corde atrabiliarios fumos arcere, vt in melā cholicis affectibus, tunc à drag. 1. ad drag. 2. cum sirupo violato, vel buglossæ, vel capillorum veneris, & eorum aquis damus: & hoc etiam in statu morborum acutorum, cum medicamenta laxantia dare formidamus, tuncque potius cum sirupi violacei vnc. 1. vel vnc. 2. datur, quam cum alio quolibet, habet enim vim laxandi, & refrigerandi, & temperandi acrimoniam confectionis, ad eius autem iuuandam actionem, optimum est clysterem iniicere. Ea enim compositio, in ea quantitate assumpta ventrem mouet, nam lapis lazuli, ablutione non deponit prorsus suam acrimoniam & vim laxandi quam habet, imo retinet, vt apparet ex pilulis de lapide lazuli, & indis, & de quinque ge-

Cordiales

Cōfectio alkermes.

neribus myrobalanorum, in quibus etiam ablutus po nitur, & pulueribus paratis eo lapide ad purgandũ, ob tantumque vim laxandi, quam habet hæc compositio, Ioannes à falco, huius Academiæ Decanus eruditissimus, & prudentissimus, in fluxibus ventris nunquam dare voluit, & iusta ratione reprehendebat suos coætaneos, quòd in talibus dispositionibus confectione alkermes vterentur. Ego autem superioribus annis, vidi Archidiaconum Valentiæ, canonicum huiusce vrbis, in dysenteriam incidisse ob nimium, & frequentẽ vsum huiusce compositionis. Quod autem maius pondus detur assati, & abluti, quam abluti tantum, id ea ratione fit, quia sola ablutio, in insitam, & ingenitam acrimoniã parum vel nihil potest agere, imo ea, vstione tantum tolli potest, ex qua id empyrematis, quod secundo contrahitur, ablutione, sæpius iterata, sine dubio tolli poterit. In Hispania necnon apud nos in quibusdam officinis adhuc paratur sine vstione, quia adhuc antiquorum erroribus fuerunt addicti. Sed si quis velit parare, duplicem habere debet, vnam ex vsto, alteram ex non vsto lapide compositionem. Confectio de hyacintho in quibusdam locis paratur, æqualique pondere datur quo confectio alkermes, vel etiam maiori, quòd eius vsus tutior sit & minus periculosus in quibus conuenit.

Ioannes à falco.

Archidiaconus Valentiæ.

De Trociscis. Cap. 44.

TRociscorum alii palato gratiores, alii prorsus molesti sunt, alii caustici & vrentes, alii nõ vrentes, alii efficaces, alii inualidi, alii cum opio, alii citra opium compositi. Sunt & qui foris tantum adhibentur, & qui intro recipiuntur, qui aluum subducunt, &

candem

eandem qui ſiſtunt, qui ſunt ἀναςομωτικοὶ hoc eſt, venarum ora recludentes & reſerantes, qui alii item obſerare & occludere deprehenduntur. Si grati ſunt & minus efficaces & ſine opio, & intus aſſumendi eorum drag. ſem. aut drag. 1. pro vna doſi tantum ſufficiet, vt Trociſcorum de bolo, & de Terra ſigillata. Quod ſi nulla omnino ſaporis gratia, guſtui ſint commendabiles vel magis efficaces, aut opium recipiunt à ſcrup. ſem. ad ſcrup. 1. menſuram eorum præſcribere tantum licebit, eiuſmodi ſunt Troc. de rhabarbaro, de Eupatorio, omneſque etiam illi quos veteres ad effectus renum & veſicæ, cum opio deſcripſerunt, ex quorum numero ſunt Trociſci alkekengi. Quod autem ad Trociſcorum foris ad mouendorum menſuram attinet eã à drag. ſem. ad drag. 1. vel ad 2. circunſcribi poſſe dicimus modo cauſtici non ſint. Talium enim ſi exulceratę parti ſint adhibendi maior quantitas eſt vitanda. Ea tamen audacius admittenda cum ab iis tantum cutis attingi debet. In qua etiam cum magna ſit pro ratione partium perſonarũq; diuerſitas, ab ea rurſus augendæ minuendæ ue acrium & cauſticorum trociſcorum quantitatis indicatio alia ſumitur. Cutis enim capitis quàm colli, partiumque aliarum, delicatiori molliorique cute conueſtita, tum maiorem, atque etiam ſana quàm quæ abſceſſu obſeſſa pars eſt, parteretur menſuram. Sic etiam hominum qui in regionibus frigidioribus degunt vel eorum qui vitæ inſtitutum laborioſum perſequuntur cutis, maiorem perferre poſſe videtur. Accidit verò interdum vt partem aliquam trociſcis iſtis aperire oporteat, in qua ſi magna ſit apertura facienda maior quantitas, ſi verò parua, minor ſanè requiritur. Trociſci porrò, in vniuerſum exceptis cauſticis rarò per ſe & trociſcorum formam ſeruantes vſur-

Grati & minus efficaces & ſine opio.

Ingrati magis efficaces cum opio.

Cauſtici.

Paucos ſuã figurã

serare cũ vſum veniunt.

vſurpantur. Diſſoluuntur enim, aut in puluerem rediguntur, vt potionibus, & opiatis, colliriis, vel vnguẽtis conficiendis accommodentur. Tantumq; de iis addendum, vel detrahendum, quantum natura eorũ quibus admiſcentur poſtulare videbitur. Sic enim cũ ſaccharo vel cum ſirupo grato, grati aſſumantur, multum illorum addere, non erit pertimeſcendum. Soli cæterum trociſci, ad fumigia, & cauteria inſtituti, ſuam figuram ſeruant & retinent, in eaq; quantitate quã volumus, vſurpantur. Cuius generis ſunt trociſci Galliç & Aleptæ muſcatæ. Non vrentes autẽ Trociſci extrinſecus apponendi & abſque opio à drag. ſe. ad drag. 1. rectè præſcribi poterunt.

De Eclegmatis. Cap. 45.

Eclegmata ſine certa quãtitate aſſumi. Modus aſſumendi.

ECLegmata parata vſurpantur ſine certa quantitate, imperantur tamen ad vnc. 4. vel 6. præſcribendo, vt ſenſim tranſglutiantur, accipientes quantum baculo glycyrrhizæ aſſumi poteſt. Si autem ex diuerſis paretur eclegma, quæ non ex æquo conueniant, tunc non æquali portione permiſcentur, ſed illius ſemper maiorem quantitatem vſurpamus, quòd ſcopo fuerit magis accommodatum. Idem ſentiendum de electuariis, de pulueribus, emplaſtris, vnguentis, opiatis, & ceratis, omnibus denique cõpoſitionibus. Quarũ quantitatem, tantam deinde imperamus, quæ ſufficiat neceſſario vſui, pro tempore quo opus erit. Verum, cùm minus certi erimus de ægrotantis facilitate in aſſumẽdis remediis, vel quando morbi mutationes celeres habebunt, melius erit minorem quantitatem imperare, ne dum eorum iactura fiet, incaſſum nimiæ impenſæ ſequantur.

Quãtitas medicamẽtorũ quæ ad plures doſes præſcribũtur.

De

De Clysteribus. Cap. 46.

CLysteres, non vna & eadem quantitate imperantur, aliquando maiore, interdum minore. Quãtitatis autem modum colligimus ex corporis magnitudine, & ventris plenitudine, & à morbo, & à scopo. In proceris corporibus, & inanitionibus magnis intestinorum, imperamus lib. 2. iniectionis, vt lib. 1. se. decoctionis sit, olei verò, vel succorum lib. se. sic vt omnia adimpleant quantitatem lib. 2. In maximis & gigantæis hominibus, exceditur etiam illa quantitas. At in affectibus qui cum fluore iuncti sunt, cùm volumus intestina eluere, & iniectionem citò reddi, videlicet cum detergere tantum opus est, eam maximam quantitatem imperamus, quo melius omni ex parte, intestina illa iniectione detergantur & eluantur, quæ est ad lib. 1. sem. vel lib. 2. Id etiam obseruatur in vlcere detergendo, quod præsertim altiora intestina obsedit. In aliis autem affectibus, quibus diutius clysteres retineri oportet, minorem quantitatem imperamus. Maior enim facultatem expultricem statim proritaret, nec proinde se satis diu retineri pateretur. Quo fit vt lib. sem. decoctionis iniicienda sit, aut lib. 1. tantum, in doloribus colicis, & nephriticis, & in magna excrementorum plenitudine, & inflammationibus ventris inferioris, & tumoribus, & in grauidis. & difficulter respirantibus, & quando affectus in vltima parte recti intestini est. At in enterocele multo minor, ne iniectio ad scrotum descendat, quod valde periculosum est, quare si cogamur clysterem præscribere, paruam iniectionis quantitatem imperamus. In aliis herniæ speciebus nihil est periculi. Idem intellige faciendum, cum ius aliquod, vel brodium nutritionis gratia iniicien-

Vnde eorũ quantitas sic colligenda.

Affectu cũ fluore

Vbi diu retinendi.

Brodium

ciendum erit. Tunc enim iniectum omnino retineri necesse est. Similis est puerorum ratio, quorum clisteres eadẽ, vel minore quantitate contenti sunt. Olei porrò & medicamentorum laxantium quæ in clisteribus recipiuntur quantitatem, cùm superius edocuerimus, nihil est quod huic de clisteribus doctrinæ addendùm iam restet.

Iniectũ ad nutricationem.

De Antidotis Collicis & Arteriacis. Cap. 47.

ANtidota, & colica remedia, & Arteriaca ferẽ omnia opium recipiunt, quare dosis alia erit recentium, alia antiquorum. Recentia autem antidota dari possunt à scrup. sem. ad scrup. 2. antiqua verò à drag. sem. ad drag. 1. vel duas, idque in morbis in quibus conueniunt. In venenis autem, si ad præcautionẽ dentur, ad fabæ ægyptiæ magnitudinem, si Galeno credamus, sunt assumenda, si post venenũ, quantitas danda erit quadruplo, vel quintuplo maior, & bis in die, vt euincatur veneni vis. Præceptor Galeni morsis à cane rabibo recenter, cochleare magnum dabat, iam diu vero ante morsis, duplabat dosim, duo cochlearia dando. Maior enim quantitas medicamenti ad morbum antiquum quàm ad recentem est necessaria, & ad curationem morbi, quàm ad præcautionem. Pilulæ ad catharros ex opio, quia solidiore forma sunt, & diutius in ventriculo remorantur, dabuntur à G. 6. ad G. 15. & hoc si sex mentium sint, & in corpore robusto, & forti. Hic notare oportet antiquos, & recentiores, etiam metitos esse medicamenta, vt plurimum, mole, vt magnitudine fabæ ægyptiæ, & nucis ponticæ. Id autem similiter facimus, cum rusticis vsum medicamentorum

Recentia antidota.

In venenis.

Præceptor Galeni.

Morsi à cane rabido.

Pilulæ ad catarrhos ex opio.

Medicamenta mole plerũq; mensurari.

torum imperamus: dicimus enim opiatas ex Cassia, & Catholico ad nucis quantitatem accipiendas esse cordialium opiatarum ad fabæ, vel castaneæ magnitudinem, puluerum cochlear vnum, vel 2. vel 3. Hoc autem fit cùm non possumus habere pondus paratum, proinde eam molem medicamenti imperamus, quæ pondere iusto respondeat. Hæc sufficiant de quantitate simplicium, & compositorum medicamentorum: super est vt de collocatione eorum, in remediis componendis, aliquid dicamus, ad eiusq; theorematum probationem, aliquas antiquorum præscriptiones subiungamus ne à nobis præcepta hæc prorsus conficta existimentur.

De simplicium medicamentorum collocatione. Cap. 48.

EXplicatis, & indicatis hactenus dosibus tam simplicium, quàm compositorum medicamentorũ, de eorum in præscriptis faciendis ordine seruando, aliquid dicere, facturus operæpretium mihi sum visus, vt quod aliqui longo vsu & trito, olfecerunt forsan, si id facere non didicerunt, à quibus autem rationibus exordium haberet, non viderunt, vt neque sibi certi esse de re tam vtili, neque alios aliquid artis in ea docere potuerint vnquam, alii autem omnes, vt maxima pars, etiam alioqui docti, maximo cum ægrorum incommodo ignorarint prorsus, ego & theorematibus in vniuersum fulsirem, & peculiariter demonstrarem. Theoremata autem duo, mihi sunt hæc in respectanda, quorum vnum, & magis necessarium, vt imperitiæ iuniorum pharmacopolarum subueniatur, à bene præparãdi ratione desumetur, alterum à quantitate, vel dignitate

Theoremata duo

rate medicamentorum tam simplicium, quàm compositorum, quæ, ratione compositionis faciendæ, simplicium conditionem præ se ferunt. Ad primum veniamus, illudq́; ita constituamus. Quæcunque accuratiori, & longiori præparatione egent, ea priorem locũ debent obtinere, hoc est si quid difficilius trituretur, infundatur, coquatur, aut misceatur, prius triturationi, infusioni, coctioni, mixtioni est mandandum, quod vt indicetur inter trituranda, infundenda, coquẽda, miscenda, prius scribatur. Si autẽ infundendorũ, vel coquendorum, vel miscendorum vnum aliquod, breuiori infusione, vel coctione, vel mixtione egeat, & præterea trituratione, hoc postponatur duplici de causa, vna quæ iam dicta est, altera, vt dum alia infunduntur, vel coquuntur, vel miscentur, hoc triturari possit, sicq́ue nulla fiat temporis iactura, cuius metu sæpenumero pharmacopolæ, tãto cum scelere, omnia perturbant, vt eorum quæ minus coquenda sunt, sæpe vis prorsus deperdatur nimia coctione, cõtra ea quæ longissima coctione egent, cùm eorum vis, à mediocri etiam erui non possit, quanta necessaria est non extrahatur. Quod idẽ in aliis præparandi formis euenit. Quam rationem hodie à quamplurimis, dicam, Empiricis negligi apparet, qui infundunt simul, & decoquunt gaiaci rasuram, santalos, cinamomum, sennam, & alia multa, quorum vel ea quæ sunt odorata, & laxantia vim suam amittunt, vel alia non satis decoquuntur, vel vtrunque contingit. Secundum Theorema est, vt ea, quæ maiorem sui quantitatem toti compositioni tribuunt, & nobiliora sunt, priorẽ sedem occupent, quod est erutũ ex præscriptis antiquorum, qui in componendis medicamentis hoc solum spectarunt, tantum excipientes ea quæ materiæ vice, aliquando in fine colloquantur. Vt videre

[Margin notes: Primum theorema. — Coctionis ratio quid possit. — Empirici. — Secundũ theorema. — Mos antiquorum.]

dere est in descriptione pilularum de hermodactylis apud Mesuem: recipiunt enim primo ordine hermodactylorum drag. 5. deinceps alia in mediis sedibus sequuntur, pro maiori, & minori quantitate, tandem aloe, quia materiæ vices gerit, ad drag. 10. ponitur. Idem factum est in pilulis sebellinis, in quibus spica nardi ponitur in prima sede, ob quantitatem, & nobilitatem. In Aromatico rosato maiore ex descriptione Gabrielis, rosæ in prima sede positæ, reliqua copia superant. Idem in Antidoto Philonis, apud Mesuem, piper album, & hyoscyamus, obtinet, in qua compositione manifestè apparet ordo medicamentorum seruandus secundum maiorem & minorem quantitatem, ita vt maxima quantitas primo loco ponatur, minima vero vltimo, cum piperis albi, & hyoscyami hic recipiantur anna drag. 20. opii drag. 10. croci drag. 5. spicæ, pyrethri, castorei anna drag. 1. In Theriaces descriptione, hoc palam fit, sed quia ea est longior, vtque mos antiquorum melius innotescat, non me tædebit separatim, finito hoc capite, eam transcribere, & crassa minerua excutere doses, cùm albi exactè eius castigationem, & rectum componendi modum, proprio opusculo, tradam, & daturus sum Deo præstante aliquando. Verum, vt ad rem præsentem redeamus, animaduertendum est antiquos, posteaquam se ita collocationi petendæ à sola quantitate addixissent, vidisse demum, rationem præparandi, & in hac re ordinem esse apprimè necessarium, coactosque fuisse multa verborum congerit explicare, quod ipse in scribendo ordo indicare potuisset, & is mos eos excusauit in magnis compositionibus faciendis, cùm neque forsan solus ordo satis id indicasset. Sed cum in illis, quæ ad horas præscribuntur, hoc fieri non liceat, neque etiam

Theriaces descriptio

Antiquorum mos.

ipsi fecerunt in iis, quæ nobis scripta reliquerunt, nisi admodum paucis, in eo, quod mox dicturus sum, totus collocationis cardo vertetur, vbi annotauero, antiquos minus benè, & competè fecisse, qui aliquando dosim medicamentorum, quorum idem ordo erat, diuiserunt, vt in Theriaca videre est, rosarum siccarum drag. 12. iridis illiricæ drag. 12. cum per anna, quod sic notatur ãna vno numeratore designare potuissent. Nec mihi minus ridendi, qui idem hodie faciunt, nisi id præparationis ratione fiat, videntur. Igitur, secundum theorema priori adiungentes hunc ordinem in præscribendo constantissimè obseruemus, vt primo ordine collocemus ea, quæ longiori egent præparatione, in hoc autem rursus id cõsideremus, vt eandem præparationem postulantium ea primum ponantur, quæ maiorem copiam requirunt. Eandem præparationem, & quantitatem requirentium, & mensurandi modum vt lib. vel vnc. vel M. vel P. ea prima collocẽtur, quæ commoditate, aut nobilitate aliqua præstant. Sicque fiet vt manum præscriptionibus admouentes, nullo pacto hæreamus mente, ab hòcne, vel illo ordiendum sit, sed, cognito scopo, medicamentique proprietate, & nobilitate, statim ab eo quod opus est, initiũ faciemus, id quod erit vice materiæ, siue vnum, siue plura id faciant, si in eo vel coctio, vel infusio, vel mixtio sit facienda totius compositionis. Primum omnium: si autem infusum, vel decoctum, vel tota mixtio iam facta, ei sit adiungenda, vltimum, quantecunque sit copiæ, & quantitatis collocemus. Quod vt exemplo aliquantulum illustremus, id petamus à re quæ est frequentior, videlicet plantarum partibus, vt cùm earũ radices duriori sint substantia, & magis cruda, longiorique decoctione, & trituratione egeant, proinde in

Ineptus nos.

Rectus ordo.

Materiæ locus.

in prima ſede ponantur, præcipuè quæ aperiunt, & incidunt, tum ligna non odorata, & cortices, deinde folia herbarum: tertio loco fructus: quarto ſemina: vltimo flores, & quæcunque ſunt odorata, vel laxantia, quod facit vt radices inde patiantur exceptionem, laxantes enim primo loco non ponuntur. Denique ratio præparationis tantum poteſt, vt nihil tam generale adferri posſit, quod frequenter non patiatur aliquid peculiaris, & ſingularis doctrinæ, vt ſi quid ad alicuius medicamenti meliorem, vel faciliorem actionem faciendam, vel caſtigandam adhibeatur, cuiuſcunque ſit quantitatis, id quod habet caſtigandum illico ſequatur neceſſe eſt, vt eius vis non niſi caſtigata, & melior facta, ne tantillum quidem extrahatur, vt zingiber, & ſal gemmæ mox poſt agaricum, ſpica, & cinamomum poſt rhabarbarum, caſtoreum crocus, & myrrha poſt opium, & ſic de ſimilibus.

Quid poſit præparandi ratio.

Theriaces Deſcriptio.

Recipe.

Paſtillorum ſcilliticorum drag. 48.

Paſtillorum theriacorum
Magmatis hedychroi
Piperis longi
Opii
} anna drag. 24.

Roſarum ſiccarum
Scordii Cretenſis
Seminis Napi
Iridis Illiricæ

Agarici pōtici
Cinamomi
} añ dra. 12

Dulcis Radiculæ ſucci
Opobalſami

Myrrhæ

Myrrhæ Croci Zingiberis Rhapontici Rad.quinquefol. Neperæ Marrubii Petroſelini Stœchados	añ drag. 6.	Coſti Piperis albi Piperis nigri Dictamni Cretenſis Floris iunci odorati Thuris Terebinthinæ Caſiæ fiſtulæ Nardi Indicæ	
Polii Cretenſis Seſeli Styracis Seminis Apii Thlaſpi. Ameos Ahamædrios Chamepitheos Succi hippociſtidos Malabatri Nardi Gallicæ Rad. Gentianæ Seminis Aniſi	añ drag. 4.	Mei Athamantini Seminis fœniculi Terræ Lemniæ Chalcitidis toſtæ Amomi Acori Rad. Phu Pontici Fructus Balſami Hyperici Acaciæ ſucci Gummi Arab. Cardamomi	
Seminis dauci Galbani Sagapeni Opopanacis	añ drag.2.	Bituminis Iudaici Caſtorei Centaurii tenuis Ariſtolochiæ tenuis	

Mellis attici lib. 10.

Vini falerni, quuantum ſufficit

Quare primi ordinis tanta quãtitas. Primum, id animaduertendum eſt quod in prima acie eſt poſitum, eſſe in maxima quantitate: id autem factũ fuit forte, quòd medicamentum ex ſcilla, ſcopis magis conuenit, facta enim eſt hæc compoſitio primum ad venena,

venena, & morbos contumaces,& diuturnos,ſed Trochiſci de ſcilla venenis frigidis manifeſta qualitate aduerſantur, item puncturis, & morſibus venenatorum animalium. Nec minus valet ad humorum contumaciam: tales enim morbi ſunt à craſsis,frigidis,& viſcidis humoribus, vel in remotis, & profundis partibus ſitis, ad quas cauſas valet potisſimum ſcilla incidēdo, attenuādo, & ad altas partes penetrādo,digerendoq́; humores craſſos. In ſecundo ordine, Trochiſci theriacales,& Magma hedychrois cinamomum, piper nigrum,vel longum,ſed longum magis conuenit,& deſcriptio quæ legitur apud Galenum ad Piſonem, & apud Auicennam longum habet, tum deſcriptio carmine ſcripta, conuenit enim magis antidotis longum, ſi Dioſcoridi credimus. Hæc omnia cum Trochiſcis de ſcilla,& ad venena, & ad morbos contumaces,conueniunt. Opium autem in hac deſcriptione, vt præcedentia ad drag. 24. ponitur, quia hæc compoſitio ad dolores ſedandos parata eſt, vnde nomen ſibi γαλήνη quod tranſcribunt Latini galene, comparauit,quia trāquillitatem adferat, & propter vim opii,& ad veneni præcautionem, & ad curationem facit, vt ex Galeno colligimus. Velet enim Theriaca, eodem teſte, cum recens eſt ad venena, cum vero antiqua ad morbos diuturnos. Quod ſi recens valeat ad venena,id fit propter vim opii, quæ maior eſt in recenti quàm in antiqua. Et mihi placet Iohannis Schironii ratio noſtræ Academiæ Cancellarii eruditisſimi, qui dicebat opiū additum iſtis magnis compoſitionibus, magis eſſe ad vires calidorum medicamentorum conſeruandas. Calida enim, & quæ tenuium partium ſunt,continuo exoluuntur ab aere ambiente,quæ ſemper agit in medicamenta. Quare cum tot ſint in hac compoſitione

Secundus ordo.

γαλήνη. galene.

Theriaca recens. Antiqua.

Ioannes Schironius opiū

calida, & anodyna fortisſima eſſe debeant, nemini mirum eſſe debet, quod ad drag. 24. opium poſuerint. Hanc rationem non norunt, qui ex Tryphera magna opium expungunt, etiam ſi ad effectus vteri præſcribatur. Nam ſi tantopere narcotica verentur, cur mandragoræ corticem non expunxerunt? non enim minus vtero ſua frigiditate aduerſatur, quàm opium. Sed hos miſſos faciamus, & ad reliqua veniamus. Iris illirica, & glycyrrhiza, opobalſamum, roſæ aridæ, ſcordium, ſemen napi, vel rapæ agreſtis quod magis conuenit, vel quia minus aduerſantur venenis, vel minus cõueniunt quàm ſupradicta, vel ad meliorem actionem tantum, adhibentur, doſim habent dimidiam ſecundæ doſeos, vt ſecunda primæ item eſt dimidia, ſcilicet drag. 12. Quæ ſequuntur drag. 6. recipiunt, hoc eſt dimidium præcedentis doſis. Quæ ſequuntur hanc, eadem quantitate ponuntur, ſed cenſeo omnia iungenda, quæ eiuſdem ſunt quantitatis, alioqui ſunt duæ claſſes eiuſdem ponderis in eodem medicamento, quod ridiculum, vt iam dixi. Quinti verò ordinis pondus eſt drag. 4. quia quæ ponuntur in hac claſſe, partim ingrata, partim cara, partim efficacisſima ſunt, quare ſi præcedentium copiam eſſent ſecuta, maior eorum quantitas fuiſſet quàm par erat. Chalcitis enim ſuo odore, ſapore, adſtrictione periculoſa eſt: alia autem ſunt efficacia valde calfaciendo, vel adſtringendo, quare minori quantitate poſita fuere. Quod ſi præcedentem progrediendi modum ſecutus fuiſſet, prioris doſis dimidium ſumendo, minor iuſto quantitas fuiſſet aſſumpta, ob id non drag. 3. ſed drag. 4. poſuit. Quæ ſequuntur, vel quia fœtida, vel ſuo ſapore, vel conſiſtentia ingrata ad drag. 2. ponuntur, dimidium ſcilicet proximè præcedentium: ſunt autem ſemen dauci, bitumen,

opopa-

opopanacum,castoreum,centaureum minus,& aristo lochia,hæc efficacissima sunt, & ingrata, quare minima quantitate,& vltima sede ponuntur. Vnde apparet illius theorematis veritas, quo docebamus efficacissima,& ingrata, & cara, & scopo minus conuenientia,in parua quantitate esse imponenda. Quod autem mellis lib. 10.ponat, ostēdit illud theoremata verum esse, quod de materia remediorum diximus, nempe materiam vel quæ materiæ vices gerunt,quantitate reliqua medicamenta superare debere. Quod vinum addiderint sine quantitate,id factum fuit, quia quantitas indicari non potest, ponenda proinde ea erit quæ necessaria est ad diluendam medicamenti spissitudinem. Mel enim inspissat, conseruat, & dulcorat tantum, & quia aliquando crassius, aliquando liquidius, aliquando etiam plus vini, aliquando minus imponimus. Quare nemini mirum esse debet,si semper vini, mellis, sirupi, sacchari, olei,& ceræ,quantitatem non annotemus, sed quod sufficit dicamus. Hic præterea notare oportet, herbas pondere mensurari,quia siccæ vsurpantur: item radices, fructus,flores,semina,& lacrymas etiam pondere. Chalcitis semi vsta in hoc remedio ponitur, quanquam inter venenosa annumeretur,valet enim ad fungos. Multa etiam alia hic annotare possem, quæ in castigatione huius nobilis compositionis docuimus. Sed quia hæc præter institutū sunt, silentio prætereo: poterunt enim commodius in officina pharmacopolarum, quam paramus,doceri. Itaque huic libro finem imponemus, qui erit vice procemii illis, quos de formis remediorum tam internorū, quàm externorum post hunc mox, Deo propitio, sumus daturi.

Finis.

LAVR. IOVBERTVS, Medicinę Doctor, Medicinę studiosis S.

VT Benignum & plenum ingenui pudoris est, fateri per quos profeceris: sic per humanum & decens esse arbitror, quam methodum in cuiusuis artis exercitio certam & fœlicem probaueris, ad eam reliquos adhortari, qui sibi propositæ finis consequendæ modos anxii meditantur. Id vero in Medicina, si quis alius, ego facilè possum, qui multos annos sub variis præceptoribus ei operam satis diligentem nauaui, Lutetiæ, Monspellii, Patauii, Ferrariæ, & Bononiæ, Italicæ, nominatissimis Europæ Academiis: in quibus Medicæ artis peritissimorum & exercitatissimorum ducum beneuolentiam ac consuetudinem pro animi voto abundè expertus sum. Verũ me nullius magis, quàm RONDELETII nostri doctrina, omnibus ritè examinatis (absit inuidia dicto) retinere potuit. Non præter ingenii acumen & dexteritatem, præter iudicii acrimoniam & experimentorum propè infinitorum memoriam, pręter remediorum diuersitatem & excellentiã, quibus nobis admirandus venit: ea est RONDELETII facilitas, & in instituenda iuuentute sinceritas ac vigilantia, vt meritò ab omnibus Medicinę pa

rēs habeatur, à quo hęreditatis legitimam portionem longè locupletisſimam referant, quos ille adoptarit. Equidem inter eos poſtremus eſſe non videor, qui tanti viri liberalitate amplisſima, conuictuque & colloquio familiarisſimo, quādiu placuit, frui potuere, quiq; inde vberrimum fructum reportarunt, ex eius diſciplina in Medicis officiis gloriæ plurimum adſequuti. Nā, quam me olim RONDELETIVS docuit, ſcriptoq; tradidit morborum dignoſcendorum & curandorum regulam, religioſisſimè obſeruans, iam ferè ſceptennium Medicinam exerceo. Vnde præter haud vulgarem famam fauſtis & ſæpe inopinatis ſuccesſibus partam, amicorum in multis regionibus iuſtum numerum (vt interim de lucro, quod Medicum non decet, nihil dicam) mihi comparaui. Noſtri ergo æmulatione accenſi, ò iuuenes, RONDELETII certisſimam facillimamque methodum amplectimini: ab ea ne latum quidem vnguem (quod aiunt) diſcedite: RONDELETII non libros, ſed theſauros auidius expetite, conceſſos memoriæ ſcriniolis ſecretioribus includite. vt cùm erit opus, recluſos in humani generis ſalutem fœliciter diſpenſetis. Hunc, quem in lucē prodire ſinit, alii multi (vt ſperamus) breui comitabuntur, quorum nobis iamdudum copiā fecit, & per quos plurimum ἐν ἰατρικῇ profeciſſe fatemur. Non equidē inuideo, nec de præceptore conqueror: vt ferunt Alexandrū regem ægrè tuliſſe: quòd diſciplinas ἀκροαματικὰς libris foras editi inuulgaſſet Ariſtoteles, quibus ab eo ipſe eruditus foret. Quin RONDELETIVM hortor, vt quod ſe, id eſt Magnificum in re Medica imperatorem decet, omnibus Medicinæ ſtudioſis vel amplius quàm nobis, ſi fieri posſit, bene faciat, & futuro quoque æuo proſpiciat, neque id tam

immor-

immortalitatis ſtudio (et ſi dignisſimo virtutis aculeo) quàm liberalitatis & cãdoris nomine, quibus hic totus effulget. Nam ſibi ſatis glorię iam quæſiuit, poſſetq́ue deſinere, ni animus inquies paſceretur iis operibus quæ humano generi profutura videt, quæq́ue ſuis laudem maximam adferre poſſe nouit. Hunc ergo numinis inſtar colite, φιλιατροι, qui Medicinã facturi ducem quæritis: huius Theoremata præceptionesq́ue, velut ab oraculo petitas ſententias excipite, vtq́ue de vobis & nobis omnibus in dies magis ac magis bene mereatur, RONDELETIO noſtro firmam ſanitatem & animi tranquillitatem iucundisſimam, ad Neſtoreos annos precamini. Valete.

FINIS.

THOMAE DE GARBO TRACTATVS II.

I. DE REDVCTIONE Medicinarum ad actum.

II. DE GRADIBVS earundem.



PATAVII,
Apud Gratiosum Perchacinum
M D LXIIII.

Tractatus de reductione Medicinarum ad actum.

QVONIAM nihil charius, ac vtilius existit, quàm breuissime loqui, dicit Galenus 4. de ingenio sanitatis: ideo ad vtilitatem studentium volentes aliqua iuxta materiam minimam facultatem in materia medicinę excutere, Tractatũ quendam breuem quanto plus poterimus, cõstituemus, prçcipuè duę materię pertractantes. In quibus modica difficultas non existit apud nostrum debilem intellectum. Et primo inuestigatio erit de reductiune medicinarum ad actum. Secundo, qualiter & in comparatione ad quid medicinę in diuersis gradibus reponantur. In primo inuestigabili tot fuerunt iam opiniones, quot capita; & ideo recitabimus solemniores eas pertractando. Gentilis N. de fulgineo in quęstione, quam de hoc disputat, longiorem facit quamplurimum tediosam. Conciliator enim differentia 44. in medicinis calidis cum Galeno concordat, quod ponetur. De frigidis autem dixit, quòd re-

ducuntur ad actum per quandam antiparastasim. Nã ipsa circundata à calore nostro innato, quasi per modum antiparastasis vnitur, & congregatur in sui virtute concitata à suo contrario: Vnde vigorata, & augmentata in operationem prodit, in quam prius non poterat, quemadmodum accidit de calce, cùm aspergis eã aqua frigida. Post hanc opinionem non procedamus quia satis in propatulo est renuẽda. Et licet forte proteruè posset sustentari. Galenus autem pro certo est opinatus, si quis attentè attendit eius dicta, primo & tertio de simplici, & tertio de compositionibus, quem Dynus tanquam euangelium sequitur, & eius mentem perfectè elucidat 2. can. & nimis prolixe, quòd medicinę tam calidę, quàm frigidę possunt dici respectu corporis nostri tales in potentia, cùm non agant primo occursu. In hoc tamen diuersificantur, quia medicinæ calidę dicuntur tales in potentia essentiali, quia verè à corpore nostro acquirunt effectiuũ principium, scilicet calorem actualẽ, per quem alterant corpus nostrum. Hęc autem caliditas in diuersis medicinis à nostro calore generatur diuersa, & diuersorũ graduum, non ex diuersitate agentis, cùm in vnico corpore non sit nisi vnus calor, sed hoc est ex diuersitate patientis, ex sua diuersa mixtione elementorum apti nati diuersimode ab agente vnico aliter & aliter transmutari. Vnde non est inconueniens ex dispositione passi qualitatem in eo intensiorem induci, quàm actualiter sit in agente. Et talis est aptitudo receptionis huius caloris in medicinis à corpore nostro, quòd vna medicina in quolibet corpore quantum est de per se, est apta nata simpliciter ad eundem gradum caloris, quę quidem sic reducta diuersimodè diuersa corpora propter eorum diuersitatem transmutat, vt post apparebit, cùm

de

de gradibus loquemur. Per accidens autem,& ex ali quibus conditionibus annexis,poteſt vna medicina in diuerſis ad maiorem caliditatem tranſmutari,ſicut patet de melle dato ſeni,& iuueni. Quod autem medicinę calidę non ſint tales actualiter,ſed à corpore recipiant, patet; quia tunc ipſę agerent primo occurſu, etiam aliqua medicina,in qua abundat plus actualis caliditas,quàm alia, eſt minus calida reſpectu noſtri, vt patet de muſto & vino antiquo, ſicut etiam in multis mineralibus, videtur exuberare actualis frigiditas,& tamen reſpectu noſtri ſunt medicinę multum calidę. Medicinę autem frigidę ſolum dicuntur tales in potentia accidentali,quia frigiditatem per quam nos alterant habent à ſe, nec à nobis acquirunt. Cùm corpus noſtrum eas calefaciat, non infrigidet. Calor autem non generat frigus de per ſe. Indigent tamen ad hoc vt poſſint nos alterare ad minima diuidi, & rarefieri, & euaporari, vt poſſint ad intrinſeca corporis penetrare, & in ipſum agere. Cùm melius fiat actio per contactum: vnde calor noſter ſolum eis comparatur, vt extrinſecũ dãs ei motũ,& penetrationẽ cõmunem. Quod Gale 3. de ſimplici vocat motum de foris. Et propter hoc, tertio de complexionibus dicit, quòd ea quæ infrigidant non mutantur à corpore, nec parum, nec multum: & intendit quantum ad principium effectiuum,per quod nos habet infrigidare. Vnde ſi poſſibile eſſet,quòd in eis fieret prædicta diuiſio, & euaporatio abſque hoc, quòd calefierent adhuc plus infrigidarent: ex calefactione tamen illa eſt iuuamentum maius in infrigidatione,quàm prohibitio infrigidationis ex calefactione. Ex iis apparet quomodo frigidę medicinę poſſunt dici reſpectu corporis noſtri,tales in actu, & quomodo tales in potentia. Contra iſtam

opi-

opinionem arguit Gentilis, & dicit argumẽtum suum firmiter demonstrare, vel insolubiliter concludere. Arguit, In entibus naturalibus non est minoris essentiæ forma caloris, quàm forma frigoris; sed reperiuntur res, de quibus loquitur, quę de se habẽt principium infrigidandi, nec id acquirunt à calore nostro: igitur & res debent similiter reperiri, quę in se habent principium calefaciendi, siue formam caloris: nec oportet vt id à calore nostro acquirant, maior est vbique Galeni, qui vult, quòd caliditas inter omnes qualitates sit efficacissima, & minor est sua, vt iam prædictum est. Mirãdum est de tanto viro, quomodo ceciderit in tam vili medio, dicens illud demonstrationem esse. Primo enim si sua forma sit syllogistica, vt eam construit, minor non sumitur à maiori, vt patet cuilibet Logicam intuenti. Et ideo sua ratio ęquiualet huic consequentię, quę satis est debilis: forma caliditatis non est minoris perfectionis forma frigoris. Igitur si res frigidę sunt actualiter frigidę, res calidę etiam debent esse actualiter calidę. Nunc autem nulli dubium est, quòd hoc consequens nullatenus sequitur ex antecedente illo: Nam licet actualiter calor concedatur esse perfectior forma frigore actuali: nullius consequentię robore sequitur. Igitur cum ista est actu, & illa debet esse. Amplius ratio hæc, quam sic arduam appellat, non aliud concludit, nisi quòd quærit reductionem causę cuiusdam potentię per illam opinionem. Quare si medicinę frigidę sunt actualiter frigidę. Calidę autem solum in potentia: Ad quod respondemus, si prędictam sequamur opinionem, quòd caliditas cum est multum consumptiua rationabiliter non poterit naturaliter in aliquo subiecto reperiri actualiter, nisi vel in elemento simplici, in quo non est cum aliquali contra-

rietate

rietate ad suum subiectum. Cum non sit elementum corrumpi ab intrinseco, vel in mixto, in quo est anima. In quo quidem est regeneratio naturalis caloris. Et propter illud animata possunt cum decenti tempore perdurare. In aliis autem si fuisset actualis caliditas, breuissimo tempore perdurasset propter eius velocẽ consumptionem. Cum igitur natura intendat ad conseruationem rerum, quas producit, quanto plus potest prædictas res non facere actualiter calidas, sed potentialiter tantum. Res autem frigidas potuit conseruatione earum tempore condecenti, vel actualiter facere: cum non sit qualitas consumptiua subiecti in quo, vt per se notet. Ipse autem huic rationi dat tres solutiones, & eas impugnat, quæ mihi non placent. Opinio autem ista, scilicet nobis non placet, & vnum pręmittimus, quòd in hac materia non possibile est bene secundum aliquam opinionem demonstrare, nec forte aliquem demonstrantem mediis impugnare. Sed illi potius intendemus, quàm probabilius, & magis verisimile potest induci. Primo enim opinio Galeni est renuenda quantum ad medicinas calidas, in quo dicit, quòd non agunt primo occursu, nisi prius corpus agat in eas. Nam experientia manifestè apparet, quòd si accipiatur piper tritum, vel euforbium, & approximetur linguæ, statim ipso primo occursu mordicat linguam, & calefacit: sed quòd sic subito lingua in illis tantam generet caliditatem apparet multum extraneum. Et confirmatur. Nam non citius manus si approximetur vni calido actuali, vel etiam lingua ab illo calefieret, & percipiet eius caliditatẽ, quàm faciat, cum si approximatur euforbium tritum, vel piper, & similia; & hoc potest quilibet experiri. Igitur ista agunt primo occursu, sicut illa quæ sunt talia actualiter,

liter,& per consequens ita habent formam, per quam agunt in actu, sicut & illa,& istud similiter experitur, cùm prædicta approximantur alicui parti vlceratę,& mundę,seu nudę à sordę. Amplius satis forte signum est,quòd illa non ad talem actualem gradum calefiant à corpore, quia medicina calida in quarto postquam operatur in corpus,& reducta est ad actum, si euomatur inuenitur sub caliditate tepida & non intensa. Et licet hoc posset dici de vaporibus, & subtilioribus partibus eleuatis ab illa &c. Amplius simile videtur his quę calefiunt à corpore nostro in eo, quod dicetur. Et de rebus,quæ exterius calefiunt. Et est hoc, quòd agens cæteris aliis partibus fortius in eodem passo, videtur intensiorem effectum inducere. Nam licet vna res ex sui dispositione intrinseca sit apta ab vno agente plus calefieri,quàm alia. Ista tamen met à fortiori agente calido prius debet calefieri,quàm à minori: ergo si forma qua medicina agit, exhibetur à calore nostro, sequitur quòd caliditas vni medicinę exhibitę à corpore calido sit valde intẽsioris gradus, quàm à corpore temperato, vel frigido. Et sic destruerentur multa principia Galeni. Primo, quòd medicina calida in primo non conseruabit corpus calidum in primo. Secundo,quòd plus alterabit illud corpus, quàm corpus frigidum,& multa similia principia, quæ apud eũ sunt falsa,vt patebit in secunda parte huius Tractatui cùm loquemur de gradibus,& ibi reseruetur. Et confirmatur illud principium assumptum, non enim videtur magis inconueniens, quòd sicut medicina aliqua propter sui pręparationem paruam recipit de calore vltra gradum caloris nostri corporis, sicut ex formatione caloris in vno corpore plusquam in alio ad intensiorem caliditatem habeat in illo reduci. Et vult cum illud, in quo

quo causa appareat, quòd idem passum à vehementiori agente vehementius patiatur cæteris aliis partibus. Negare istud principium, esset quoddam dictum ad placitum irrationale multum. Prædicto autem principio firmo, tota opinio Galeni destruitur, vt intuenti patebit dicta eius de gradibus. Dicta autem opinio quantum ad medicinas frigidas pertractabitur in sequenti opinione, quæ illud idem affirmat. Gentilis autem in solutione huius dubii tres ponit modos, quorũ quilibet sibi placet. Et primus est, quòd omnis medicina tam calida quàm frigida non alterat nos, nisi per principium, quod in se habet in actu. Frigida quidem quia naturaliter actualiter est frigida: & calida, quia verè actualiter calida. Et ideo prædictæ medicinæ solum dicuntur tales in potentia ad actũ secundum, non autem ad primũ. Ad hoc autem respondet ipse adducens multas rationes satis leues. Prima, complexio medicinarũ est ex principiis alteris constituta se ipsa, ergo se ipsa est actiua. Secunda, medicinæ habent actu formas substantiales perficientes materiam: ergo actu habent complexionem. Tertia, non sunt minoris existentiæ qualitates tãgibiles, quàm visibiles, odorabiles, gustabiles, sed istæ sunt actu, ergo & illæ. Adducit enim rationem supra factam ab eo, cõtra Galenum, quam dicit fortem valde. Alia ratio. Illa qualitas est principium actiuum in medicina, per quam inuestigamus signum sumptum à facili, vel difficili congelatione, vel inflatione, vel dolore, vel odore, & similibus prius illa res nobis occurrit, sed per ista inuestigatur nobis actualis caliditas, vel frigiditas in illis existens, ergo. Alia ratio, medicinæ extra se transmutãt se ipsas per accidentale principium, quod habent, sicut patet in fermentatione tyriacæ, ergo cõsimiliter trans

mutant nos. Iſte modus dicẽdi, ſalua ſua reuerentia, ſubſtentari non poteſt, & aſſumo vnicam ſolam rationem, quam ipſe contra ſe facit, quæ concludit abſq; dubio, & eius ſolutio ad eam prorſus eſt nulla: Et licet ipſe multipliciter contra ſe inſtet, alias dimitto, & ratio eſt iſta. Si medicinæ tam frigidæ, quàm calidæ ſunt actu calidæ & frigidæ, tunc agerent in nos primo occurſu. Vnde tangendo eas manu, nos calidæ calefacerent, & frigidæ infrigidarent. Cuius contrarium expreſſe experimur. Et apparet conſequentia, quia ſi medicina multum calidior manu mea in ſui natura nõ eſt alterata ipſa manu appoximata vehementer eam calefaceret. Ita vult de quacunque re actu calida, apparet: & ſic etiam de actu frigida. Immò tunc actiuo ſufficienti approximato paſsiuo diſpoſito non fieret actio, quod eſt abſurdum. Ad iſtam rationem primo ipſe reſpondet, quòd ideo nõ agit primo occurſu, quia indigent tempore antequã agant. Sed pro certo iſtud nihil eſt dicere, quia ſi piper tota die teneretur in manibus, non calefaceret manum caliditate de qua loquimur. Secundo ſoluit, quòd medicinæ prædictæ indigent ſubtiliori, ſi debent agere, vt attingant corpus: ſed iſtud non valet, vt ipſe inſtat, quia ſaltem debent illud, quod immediate attingunt alterare, ſicut patet de quolibet alio actuali calido. Ad iſtud ſoluit, quòd qualitates elementorum nos poſſunt tranſmutare ſtatim cum occurrunt, non indigentes alia diſpoſitione. Sed complexiones mixtorum non poſſunt hoc agere, niſi acquirant quandam ſubtiliationem. Et hoc, quia illæ ſunt tales ſub actu proprio, ſed complexiones illas cõtinent in virtute. Iſta ſolutio eſt aliquantulum rudis. Primo, quia iſta opinio ponit, quòd licet complexio non ſit qualitas ſimplex, tamen complexio calida eſt actua-

actualiter apud me calida, aliter non possent dici tales in actu, vt asserit. Etiam hæc dicta irrefragabiliter refragantur, quia ad sensum videmus, quòd absque omni subtiliatione corpus flegmaticum calefit à colerico. Et tamen vtrunque habet qualitatem non simplicem, sed commixtam. Igitur oportet, quòd aliter sit calefactio corporis à medicina calida, quàm corporis vnius à corpore alio calidiore illo, quod nullatenus prę facta opinio explicare non poterit secundum modum prædictum, nihil aliud ponendo. Aliter etiam prædictam rationem soluit, & dicit hanc esse solutionē meliorem, quòd forma complexionalis approximata cuicunque speciei mixtorum de sui natura habet quòd nō agat, nisi associata tali forma, scilicet subtilior subiecto, nec hoc est magnum mirum, cùm videamus multas formas non agere, nisi multis aliis associatis, sicut calor requirit lucem, sicut dicitur de stercore lupi, si suspendatur cum pelle lupi, vel cum lana ouis euadentis lupum, quòd cōfert in colica, & multa alia similia. Sed in veritate ista, quam affirmat veriorem est multum rudior. Nam reliquum est valde deformis specificis, quæ agunt in determinatum subiectum, & de istis primis qualitatibus, & hoc siue sint simplices, siue commixtæ, quod manifestè apparet, si vnum corpus, vt colericum contingat flegmaticum, vt prædictum est. Et sic de quocunque actualiter calido, vt sensibiliter est videre. Singulariter autem absurdum videtur, & irrationale de medicinis frigidis, quòd sint actu tales, quia vt alii dicunt etiam sicut opium assumptum si postquā suam operationem facit, euomatur, non inuenitur actu frigidum, sed tepidum. Sed quòd res existens actualiter tepidi caloris infrigidet, tunc per frigiditatem actualem est absurdum, nec potest dici bene, quòd in-

frigidet,per vapores trãſmiſſos, quia illi vapores ſunt etiam actuali tepiditate, ſicut patet de vapore aquæ, quouſque eſt ſub forma vaporis. Et fortè ad hoc diceret Galenus,quòd prædicti vapores tunc cùm ſunt ſub tepida caliditate non infrigidant,ſed poſtmodum cùm ad membra peruenerint reuertantur ad frigiditatem actualem,quemadmodum etiam balneum dulcis aquę infrigidat, quia aqua intra corpus ad ſuã frigiditatem reuertitur. Et quomodo hoc ſit, ſic eſſet materia extrinſeca, ad quam modo non intendimus. Rationes autem ſupra poſitæ non ſoluuntur, quia intelligentibus loquitur. Alia eſt etiam in hoc quæſito opinio, quam etiam Gentil.affirmat. Et eſt Auer. collig. 5. ad literam: & eſt quòd tam medicinæ calidæ, quàm frigidę ſunt tales in potentia eſſentialiter reſpectu corporis noſtri, quia in ſe non habent niſi in potentia receptam illud,quo calefiunt,vel infrigidant. Fiunt autem actu tales à corpore noſtro per hũc modum, quia ſicut cibus calidus calefacit, quia cõuertitur in chylum calidum, ſic frigidus infrigidat, quia cõuertitur in chylum frigidum, & ſanguinem &c. ideſt diminutè calidum: & in hoc eſt differentia cibi ad medicinam, & conuenientia quædam cibi, & medicinarũ ex vna parte ad ea,quæ ſunt venena ex alia parte, cùm iſta ſolum tranſmutent,& non tranſmutentur. Differentia autẽ cibi, & medicinarum eſt, quia cibus ſic in chylum & ſanguinem & humiditates conuertitur, quòd vltimo vnitur ſubſtantiæ membri, & corpori noſtro. Medicina autem quæ non eſt cibus, ſic cõuertitur in chylum & ſanguinem, quòd vltimo non vnitur membro, & ideo æquiuocè dicitur ſanguis, & chylus, & humiditas ſecunda de illis, in qua conuertitur cibus, & de illis, in quam conuertitur medicina: Et ideo inter eſt differen-

differentia, quia cibus nunquam potest fieri sanguis, nisi prius fiat chylus, nec potest fieri humiditas secunda, nisi prius fiat sanguis. Medicina autem posset conuerti in sanguinem, & licet non fiat chylus, & in humiditatem secundam, & licet non fieret sanguis. Et ex hoc ipse soluat reductionem medicinarum frigidarum ad actum extrinsecus approximatarum, quas nō oportet ire ad epar, vel stomachum, vel aliquid eorum, vt fiat chylus, & sanguis. Possunt enim in humiditatem secūdam conuerti extrinsecus in poris, & licet non prius fiat chylus, vel sanguis ex ipsis, & sic ad actum reduci. Sed licet pro certo hæc opinio sit tanti viri, Auer. non acceptatur. Et primo, nam frustra fit per plura, quod æquè bene potest fieri per pauciora, sed omni illo modo potest medicina calida calefacere, & frigida infrigidare, quo ipse potest ponendo prædictas medicinas non transmutari, secundum formas substantiales ad chylum, vel ad sanguinem, &c. Sed solum qualitates, vt bene patet intelligenti. Igitur frustra ponitur ista talis transformatio, & confirmatur. Nam est supradictum. Videmus piper, & similes medicinas ipso primo occursu ad linguam agere, calefacere, & pungere. Et satis videtur inopinabile, quòd sic subiecto primo occursu sit facta transformatio in humiditatem secundam, cùm valde magna sit distantia inter piper, & prædictam secundam humiditatem. Et licet ista dicatur æquiuocè ad illa quæ fit ex cibo, quæ fit inter sanguinē & humiditatem secundam. Cùm transmutatio ad sanguinem sit præparatio magna ad prædictam humiditatem, sed in conuersione sanguinis ad humiditatem prædictam requiritur tēpus satis magnum, igitur &c. Et si quis affirmaret illud est ponere ad placitum, quē admodum similimodo posset poni, quòd in omni actio

ne cuiuſcunque agentis per contactum non fit actio, niſi cuius agens, vel pars eius in aliud transformetur, nec contrarium poſſet probari, quod eſt ſatis abſurdũ. Et confirmatur. Et ſumo propoſitionem Auer. met. Et hanc inſtantiam Gentil. facit contra eum. Calor naturalis non habet aliquam viam generandi frigiditatem, igitur non habet viam dandi medicinis frigidis illud quo nos infrigident. Cùm aliquæ medicinæ nos infrigident, ſicut aqua: & eſt contra ipſum. Reſpondetur, ſicut reſpondet Gentilis, quòd medicina frigida non verè frigida, ſed eſt diminute calida in comparatione ad nos. Calidum autem diminutum approximatum calori habet illud infrigidare, & ſecundum diuerſam diminutionem illud plus & minus infrigidare: Quẽadmodum poteſt reperiri fluxio ſuo diminuto calore occidens, vt in ſyncopali humoroſa Sed pro firmo ſecundum hoc nõ oportet ponere medicinam conuerti in chylum, & ſanguinem, &c. Cum per illũmet diminutum abſque tali conuerſione posſit nos infrigidare, ſicut facta conuerſione. Secundo ſecundum hoc oportet tenere, quòd in opio, & in quolibet mixto nos quãtũcunq; infrigidante, licet in comparatione ad nos ſint frigida abſolute. Tamen ipſa erunt plus calida, quàm frigida, quod eſſet ſatis graue ſuſtinere. Sed hoc eſſet extra propoſitum principale. Et ſicut vides dicta Auer. ſunt ſatis dicta ad placitum abſque fundamento alicuius medii. Et ſi dicatur, quòd iſto modo nos infrigidãt cibi frigidi, & cibi calidi. Certe dicendum quòd non, immo prædicta nos alterant, quia conuertuntur in chylum, & ſanguinẽ, &c. Illud enim ineſt eis pro quanto participant rationem cibi, & à materia agunt: ſed nos alterant pro quanto participant ratione medicinali, quam quid alterationem facerent, ſicut aliæ medicinæ

dicinæ. Et quantũcunque non fieret in eis conuersio in chylum, vel sanguinem, vel humiditatem. In quantum enim sunt medicinæ hoc accidentaliter eis inest. Tertius modus dicendi est etiam Gentilis, quem d. fuisse opinionem Auic. Et est, quòd medicinæ quæ dicuntur tales in potentia, habent suos modos complexionis diuersos, secundum diuersitatem earum. Et quòd tales complexiones sunt in eis in actu, sed tamen ipsæ non possunt cum eis venire ad operationem calefaciendi nos, vel nos infrigidandi. Et ideo dicuntur tales in potentia respectu nostri, sed cum calor calefecerit illas, tunc calor datus eis stat sicut forma, & perfectio. Et tunc ex complexione prima, & calor dato integratur vnum principiũ actiuum, & tunc agunt frigida infrigidando, & calida calefaciendo. Et est simile, sicut de membris corporis nostri, quorum quædam sunt calida & quędam frigida, quæ in operationem exire nõ possunt, nisi actuata à calore eis trãsmisso à corde, ex quo cum ipsa complexione innata fit vnicum principium actiuum in eis. Iste modus ponendi habet difficultates iam supradictas. Quantum enim ad medicinas calidas concurrit cum modo Galeni, & non ex toto: quantum ad medicinas frigidas quasi cõcurrit cum modo Auer. Et licet ille non ponat transmutationem in substantia ad chyli formam &c. vt ille. Vnde secundum istum modum, sicut secundum illum oportet teneri quòd forma caloris à nostro calido, medicina exhibita est illa, per quã medicina nos infrigidat. Et quòd quęlibet medicina quãtũcunq; frigida absolute sit plus calida, quàm frigida, licet nos vehementer possit infrigidare. Et in summa ad hanc opinionẽ sequitur, ꝙ aliqua res per caliditatẽ sibi additã possit multo plus infrigidare, quàm sine illo calore poterat, quod videtur

abſurdum, cùm calor contrarietur frigori. Et quare à ſic opinante Auer. In medicina antequã in eam operetur calor innatus, abſolutè loquendo, abundet plus calor quàm frigus. Et ſemper loquor de calore & frigore actuali, vt ipſemet loquitur: ergo per additionẽ caloris calor ſuus debet plus augeri, & frigus remitti. Et per conſequẽs poſtmodũ minus infrigidare, ſi dicatur ꝙ in ea abũdet plus frigus quàm calor. Igitur per eã minus abũdat frigus exhibito ſibi illo calore: ergo tunc debet poſſe minus infrigidare, quàm prius, quorum nullum ſequitur ad illud, quod poſt ponetur à nobis. Alia eſt opinio Pluſquãcõmentatoris in teg. & eſt opinio, quæ magis adhęret illi, quod credimus eſſe verum, quàm aliqua aliarum. Et opinio iſta eſt, quòd medicina tam calida quàm frigida, quę dicitur eſſe talis in potentia, non reducitur in corpore noſtro ad actum caliditatis vel frigiditatis, quia tam medicina calida, quàm frigida ſi euomatur cùm ſuam facit operationẽ, non inuenitur ſub illa caliditate, vel frigiditate, vel ſimili illi, quam inducit in nos, ſed inuenitur ſub tepiditate. ſed medicina calida in corpore noſtro reducitur ad actum calefaciendi, & frigida ad actum infrigidandi. Et ideo medicina quælibet cùm à corpore recipiat tepidum calorem, per illũ non agit, quia tunc non calefaceret corpus, ſed reuerberaret ſimilem caliditatem ei, quam habet, nec etiam ipſum infrigidaret. Et mouet dubium, quomodo poteſt eſſe, quòd corpus noſtrum exhibeat medicinis calidis & frigidis actum calefaciendi & infrigidandi, cùm ſit vnicum agens, & non ſit frigidum, nec habeat principium infrigidandi. Soluit, quòd agens æquiuocum patienti poteſt inducere multas formas, vel actus, quos vel quas in ſe non habet: & hoc ſecundum diuerſitatem recipientum, ſicut

pa-

patet, quòd Sol & ignis dealbat, & quædam denigrat. Et tale agens est corpus nostrum respectu medicinarum: & ideo potest inducere in vna actum calefaciendi vltra eum, quem ipsum habet: in alia actum infrigidandi, quem non habet. Et ex hoc vna potest calefacere vltra quàm ipsa sit calida, & infrigidare cùm non sit in se frigida, immo vna & eadem medicina à diuersis agentibus poterit diuersos actus recipere, vnde in diuersis faciet diuersos effectus. Et totum hoc accidit propter diuersas proportiones vnius rei ad diuersa & diuersarum rerum ad vnam, quę proportiones soli naturę sunt cognitę. Nos autem discimus eas experimento. Ista opinio remouetur à Gentile, quia calor noster in medicinis nõ agit, nisi vel subtiliationem vel rarefactionem, vel tepidum calorem: sed per primum non essent tales in potẽtia, sed in actu, vt supra patuit, nec per illum calorem agunt, vt ipse dicit: ergo calor noster nihil in eis agit, per quod ipsæ in nos agant. Et confirmatur, dicit ipse. Quid intelligis per actũ istum calefaciendi, vel infrigidandi, vel secundum. vel aliquam formam in medicina, quo istum actum facit, non primum, quia non est principium actionis, non secundo modo, quia natura res in medicina inducitur à corpore nostro, nisi vel subtiliatio, vel rarefactio. Et hoc non. Cum de hoc etiam ipse reprehendat Galenum, Vel calor. Et hoc non. Cùm per illum tepidum calorem non agat, vt asserit. Istas rationes faciliter solueret Plusquã cõmentator, & per verba sua consequenter oporteret dicere: Ex quo dicit, quòd corpus nostrũ est agens ęquiuocum dans ei actum calefaciendi, & infrigidandi. Et quòd per illum tepidum calorem datum eis non agunt, quòd à corpore nostro medicinæ calidę, & medicinę frigidę vltra illum tepidum calorem

rem datum eis exhibetur quędam qualitas, vel quædã forma, quæ non eſt actualis frigiditas, vel caliditas differens multum à medicina calida vel frigida, à qua qualitate, vel forma, à medicina calida procedit actus calefaciendi, vel habet actum calefaciendi, & frigida actum infrigidandi, & tunc ceſſant inſtantiæ factæ, cùm aliud addetur eis, quàm diuiſio, vel calor tepidus. Si autem quęratur, quę qualitas eſt iſta. Certe eſt de innominatis qualitatibus, quibus ita conſequenter videtur reſpondendum, ſi quis vult huic inniti. Et tunc pro certo remanet difficultas, quia ſicut calor non videtur habere viam infrigidandi, & faciendi frigus (per ſe loquor) cùm dictione illi ſit contrarius. Ita inconueniens videtur, quòd à calore producatur per ſe forma, quę de per ſe ſit inductiua veri, & multum intenſi frigoris, quod ſecundum perfectam opinionem debet concedi, & maxime incõueniens videtur per calorem inductum in re, res de per ſe acquirat vim infrigidatiuam. Ponamus igitur nos, quod credimus eſſe verum in hoc quęſito ſatis antecedenti opinioni inhęrentes. Et licet diuerſo modo in aliquibus. Et hęc opinio maxime roboratur per abnegationem antecedentium opinionum, & ideo breuiter aliqua dicam Reſumentes autem aliquas circa hoc ponemus concluſiones. Prima concluſio, quòd forma, per quam operantur medicinę in corpus noſtrum non exhibetur eis à corpore, hoc iam patet. Et licet de calidis non ſic bene poſſet probari, ſicut de frigidis patuit. Tamen in opinione Galeni de frigidis autem habitum eſt. Nam quòd calor generet frigus, vel illud à quo per ſe prouenit frigus, ſatis videtur extraneum. Ex qua concluſione ſtatim ſequitur, quòd medicinæ agunt per formam actualem, quam in ſe habent, quia ex quo illam à corpore no-

ſtro

ſtro non recipiunt, nulli dubium eſt, quòd ab alia cauſa non recipiunt. Secunda concluſio, quòd medicinæ non agunt in corpus noſtrum per formam, quæ communiter appelletur actualis caliditas, vel actualis frigiditas, quia tunc agerent primo occurſu in tactum ſal tem excellentis de eis, ſicut faciunt alia calida & frigi da excellentia. Iſtud patet, quia in iudicio de calido & frigido natura eſt melior regula, quàm ſenſus tactus. Et maxime, vt Galenus ſecundo de complexionibus. Tertia concluſio, quòd medicinæ agunt in cor pus noſtrum per formam, quam in ſe habent actualiter, quæ quidem forma, vel qualitas in calidis medicinis non eſt formaliter caliditas ſaltim ſimilis ei, quam inducit. Sed eſt talis caliditas virtualis. Nam quædam agentia dicuntur talia, qualis effectus eſt formaliter, quædam ſolum virtualiter. Et talis eſt prædicta forma. Et ſimiliter in frigidis medicinis prędicta qualitas, ſeu forma non eſt actualis frigiditas, ſed in virtute ſolum. Et iſta concluſio quãtum ad primam partem patet ex prima, & quantum ad ſecundam ex ſecunda. Et ex hac concluſione ſoluuntur inconuenientia, quæ videntur ſequi ad alias opiniones, quomodo ſcilicet medicinæ poſſunt calefacere in primo, ſecundo, tertio, & quarto gradu. Et quomodo frigidis medicinis à calore non exhibetur frigiditas, nec forma, quæ de per ſe ſit infrigidatiua, & multa, quæ inconuenientia apparebant. Quarta concluſio eſt, quòd prædictę qualitates, quæ tales ſunt virtualiter, & non ſolum in medicinis, ſed in quibuſcunque aliis mixtis dicuntur qualitates tales abſolute, ſed cõparatiuè, quę in comparatione ad diuerſa diuerſos, & alios forte contrarios effectus habent inducere. Et hoc maxime experientia eſt notum. Hoc autem ideo propter diuerſam

pro-

proportionem diuerſorum mixtorum adinuicem, quæ quaſi eſt variabilis in infinitum, vt patet ab Auer. 5. colli. quæ quidem diuerſa proportio non eſt propter aliquam diuerſitatem in materia complexionali vnica cadentem, cùm ipſa ſit vnica qualitas ſicut qualitas ſimplicis elementi, quod quid quomodo ſit, declaratum eſt à nobis in commento noſtro de differentiis febriũ. Sed illud accidit propter varietatem mixtorum in ſuis numeris diuerſimode ad inuicem comparatorum. Et quantumcunque naturæ illæ ſimplices exiſtant, quæ diuerſa comparatio à ſolo Deo comprehenſibilis eſt. Quinta concluſio eſt illa, quòd iſta talis virtualis qualitas poteſt dici forma ſpecifica, & hoc cùm ipſa iam poſita ſit non eſſe de primis abſolutis qualitatibus, & cum ipſa agat ſic determinate in vnum, quòd non in aliud: prædictæ tamen medicinæ à Medicis dicuntur comparari à qualitate, quia agunt in corpus noſtrum effectum ſimilem qualitatibus primis, vnde nos infrigidant, calefaciunt, exſiccant, & humectant vt ea, quæ primis qualitatibus ſunt affecta, & licet non ſimiliter & omni modo. Sexta concluſio, quòd illa talis virtualis qualitas calefactiua, vel infrigidatiua, & ſic de aliis qualitatibus plus habet eſſe in quibuſdam partibus medicinæ, quàm in quibuſdam aliis. Et hoc eſt propter diuerſitatem medicinæ, ſicut & aliorum mixtorum. Mixta enim non ſunt in ſuis partibus vniformia, ſicut elementa. Et ex hoc ſoluantur aliqua, quæ apparent de operationibus medicinarum extra approximatarum. Septima concluſio, quòd prædicta qualitas virtualis non quomodocunque nobis approximata operatur in corpus noſtrum, ſed cum corpus noſtrũ ingreditur a medicina, vel etiã medicina extra poſita ſecundum ſui partes intrinſecas penetrat. Et hoc

quia

quia prædicta qualitas non est absolute in nos actiua sicut agentia, quæ talia formaliter calidum vel frigidum: & licet nos non tangat, nos tamen alterat alterando medium multo amplius nobis immediate approximando. Octaua conclusio, quòd quædam medicinæ possunt dici ad actum à calore nostri corporis, pro quanto actio caliditatis nostræ in eas vehementer iuuat, ad operationes earum inducendo eas, diuidendo, & rarefaciendo, & subtiliando. Ex quo vehementer possunt intrinsecas partes corporis penetrare. Et talis operatio vehemēter iuuat medicinas exterius approximatas subtiliores partes medicinæ attrahendo, & faciendo intrinsecas penetrare, vt q. ex hac tali operatione possumus dicere calorem nostrum excitare virtutē medicinæ, & licet in eis prædictam virtutem actiuam non generet, quod Auic. videtur intellexisse in quodam verbulo in secunda fen illi primo cap. Loquamur nunc de causis, vnde loquens de iis, quæ operantur per qualitatem d. Quòd autem hoc est, quia talia sunt in effectu, aut actu, aut propter ꝙ qualitas hoc est in potentia. Sed calor innatus qui est in nobis commouet virtutem agentem in ea, & ipsam ad effectum. Et notantur dixit commouet, & non generat, vel facit. Ex qua conclusione patet, quòd licet illę medicinæ habeant in actu principium per quod agunt, ipsæ tamen plus possunt appellari tales in potentia, quàm ea quæ sunt talia formaliter, quia non quomodocunque agunt, sicut illa, sed oportet quòd intus corpus nostrum penetrent: quod in medicinis exterius approximatis est per operationem caliditatis in eis. Et similiter illæ quę interius assumuntur ad hoc vt bene possint corpus alterare, oportet quòd in membrum penetrent, & quòd secundum sui partes, in quibus maxime

est

est prædicta virtualis qualitas maxime mẽbium contangat, & immisceatur, sicut patet de grano piperis cùm integrum transglutitur, quod quid non multum calefaciet, nisi colligitur, & conteratur, vt secundum sui partes possit in membri poros penetrare, & superficiei membri adhęrere. Et hoc volebat sexta conclusio si eam perpendis. Et quia talis euaporatio, & diuisio fit â calido nostro, hinc est quòd respectu nostri possunt tales in potentia appellari. Et licet etiam absque omni tali operatione interius approximatæ medicinæ operentur, licet non tantum. Et hoc quia respectu nostri ipsæ interius penetrantes habent eorum virtutem in actu, sicut patet de pipere & consimilibus agentibus primo occursu ad linguam. Et hoc est quod nobis apparet dicendum in hoc primo quæsito. Et licet adhuc multa essent excutienda quę aliter gratia breuitatis omittimus, dantes ex iis eis vias inuestigandi alterius.

THOMAE DE GARBO

TRACTATVS

De gradibus Medicinarum.

IN Quæſito de gradibus, quod erat ſecũdum inueſtigabile qualiter & in cõparatione ad quid medicinę reponantur in gradibus fuit opinio Galeni, quam ſequitur. Et voluit Gal. 3. de complexionibus, quòd talis ſit medicinarum ad corpora, qualis corporum inter ſe. Et ſimiliter cõparantur inter ſe, ſicut corpora inter ſe comparantur. Sicut ergo omnia corpora diſtemperata dicũtur talia, calida, frigida, humida, & ſicca in comparatione ad tẽperatum. Et in tali vel tali gradu dicuntur in comparatione ad temperatum, ita omnes medicinæ dicuntur calidæ, vel frigidæ, vel ſiccæ in tali vel tali gradu, in comparatione ad temperatum corpus. Temperata enim medicina talis dicitur reſpectu temperati corporis: & ideo quemadmodum corpus aliquod reſpectu temperati aliquod corpus calidius habet remittere, & infrigidare, ſic etiam medicina calida primi gradus ſupra

pra temperatum corpus calidum in ſecundo in ſuo calore remittet, & infrigidabit. Nam minus calidum reſpectu corporis appellatur frigidum. Nam ſi medicina diceretur talis, vt calida, & talis gradus, vt primi vel ſecundi in comparatione ad totam latitudinem humanæ ſpeciei, ſequitur quòd calida in primo calefaceret corpus calidum in ſecundo, & quòd calida in ſecũdo calefaceret corpus calidum in ſecundo. Et quòd temperata, omni corpori eſſet temperata, & multum ſimilia, quæ omnia ſunt abſurda: cùm minus calidum remittat maius calidum, vel etiam intenſius: cum etiã corpora ſuis ſimilibus conſeruentur. Corpora etiam cum ſint valde diuerſa in ſuis propriis temperamentis diuerſis valde tẽperamentis medicinarũ indigeant. Et confirmat Galenus hoc per exemplum valde manifeſtum de vrina approximata cùm mingitur homini infrigidato, cui apparet calida, & approximata homini exiſtenti in thermis calefacto, cui apparet frigida, & infrigidat. Cum igitur in comparatione ad diuerſa corpora vnica medicina dicatur diuerſarum complexionum contrariarum, & contrarios habeant effectus inducere, videlicet quòd talis complexionis, & talis gradus dicatur in comparatione ad aliquod medium in comparatione ad aliquod dicatur vnius complexionis, & vnius gradus. Tale autem medium non eſt in corpus temperatum in comparatione ad quod etiam talia corpora diſtribuuntur. Et habent in ſe medicinæ ſimiliter inter ſe, ſicut & corpora. Et ideo medicina vnius gradus remittit eam, quæ alterius gradus exiſtit, quemadmodum debent quòd ea, quę primi gradus ei, quæ tertii adiuncta reducit illam ad ſecundum gradum. Et vult Galenus, quòd ſimilis eſt cõpoſitio medicinarum ad corpora ſana, & ad corpora ægra: cùm

ſecundũ

ſecundum diuerſas ægritudines corpus diuerſificetur in calore & frigore, & gradibus diuerſis: & ideo vult quòd aliqua medicina frigida non multum, vt quæ primi gradus competeret in ægritudine frigida intenſioris frigiditatis, ſed non ſufficienter illam curaret, cùm non tantum diſtet à temperato ad contrariam qualitatem, quales debent eſſe cauſæ curatiuæ. Et ex iis habet ponere hæc opinio, vt ſupra dicebatur, quòd medicinæ quæ reducuntur ad actum propter ſuam aptitudinem potentialem quantumcunque vnica earum diuerſis adminiſtretur corporibus, ipſam ad gradum eundē in quolibet corpore reduci, & quantum eſt de per ſe. Nam ſi medicina calida primi gradus ſupra temperatum, & in temperato corpore ad primum gradum reducta, in corpore calido in primo nō reducetur etiam ad primum gradum ſolum reſpectu temperati, ſed ad intenſiorem gradum propter caliditatem corporis, ſequitur, quòd corpus calidum in primo non cōſeruetur per medicinam calidam in primo, immo ab illa alteretur ad vlteriorem caliditatem, quod eſt contra pręfatam opinionem: Immo ſequitur, quòd medicina calida in primo minus alteraret corpus frigidum, quàm corpus calidum in primo, hoc eſt fundamentum, cùm hoc corpus frigidum in primo reduceretur ad temperatum, vt patet in tegni, corpus autem calidum in primo habeat conſeruare, & conſeruatio non eſt alteratio, & patet conſequentia, quia in corpore frigido reducetur ad caliditatem valde minorem ſupradictū corpus, quàm in calido corpore. Prædicti autem gradus ab auctoribus ponuntur eſſe quatuor, & quilibet ipſorum ponitur habere tres manſiones, & ponunt vlterius, quòd medicina vnius gradus poteſt ad vlteriorem gradum agere per multam reiteratam exhibitio-

nem, vel per multam quantitatem eius. Hæc omnia quasi dicta extrahuntur ex dictis Galeni 3. de comple xionibus si perpendis bene eius dicta: Sed illa opinio multis ex viis est renuenda. Primo per rationem superius contra opinionem Gale. de reductione medici narum calidarum ad actum, quòd medicina vna in diuersis corporibus ad diuersum actum debet reduci, quæ ratio multum est apparens in quibuscunque rebus deducatur, nisi solum in proposito daretur instantia, quod videtur dictum ad placitum solum, respice eam supra: & confirmatur. Nam si aliqua medicina calida infrigidaret aliquod corpus, sequitur quòd quanto pluries prædicta medicina sibi exhiberetur in quantitate materiali, tanto plus infrigidaret illud, quod videtur absurdum. Et tenet consequentia, quia sic per iterationem, & quantitatem maiorem frigida medicina exhibita corpori temperato, illud vltra gradum sibi debitum infrigidat, sic ex quacunque alia medicina re spectu illius corporis, respectu cuius ponitur esse frigida: illud continuè magis infrigidabit. Et confirmatur experientia manifesta, quæ negari nō potest. Nam nulli dubium, quòd corpus aliquod cuiuscunque complexionis sit, siue calidæ, siue frigidæ, cùm febricitat ex multis rebus calidis inflāmabitur valde, ex quibus cùm erat sanum non inflāmabatur, immo etiam corpus calidum, quę sibi erant temperatæ: Cum tamen prædicta opinio tenere habeat, quòd ex illis non inflāmabitur, sed potius ex illis in caliditate remittetur, & infrigidabitur: Et confirmatur, quia ex aliquibus febricitat colericus, ex quibus non febricitabit flegmaticus; ergo medicina, quæ calida erit in tertio gradu respectu colerici, non erit calida in tanto gradu re spectu flegmatici, cùm in eo effectū tertii gradus non faciat

faciat, sed primi, vel secundi. Cuius tamen cõtrarium prædicta opinio habet tenere. Et licet hic posset dici quòd in flegmatico faceret maiorem permutationem, si longiori tempore administraretur, & in quantitate sufficienti, quæ duo in flegmatico plurimũ requirũtur, propter ipsum illi medicinæ plus resistere. Istud tamẽ potest remoueri, quia auctores nunquam potuerũt sci re & reponere medicinas in gradu, nisi per effectum procedentem ab eis. Cum ergo ab omnibus quomodocunque administratis, à quibus inflammatur flegma ticus in aliquo gradu per experientiam valde plus inflammetur colericus: Iam videtur argumentum præfatum permanere. Et confirmatur, quia tunc sequitur quòd medicina calida in tertio gradu inducens febrem in homine temperato: si postmodum cùm febrit sibi approximetur, non amplius calefaciet ipsum, quod vi detur absurdum. Tenet consequentia, quia cùm corpus factum sit sibi in caliditate simile ab ea nõ amplius alteratur. Et hoc dico quantum est de per se. Et con firmatur, quia per prædictam opinionem ponitur, ꝙ medicina in primo, & sic de aliis multotiens data, vel in quantitate multa potest ad alium gradum alterare. Sed sumo medicinam calidam in primo, quæ per quan titatem multam, vel multotiẽs datam calefaceret cor pus temperatum vltra primum gradum vsque ad medium secundi: tunc si iterato detur sibi non debet ipsum calefacere, immo remittere calorem illum, cùm ipsa sit minus calida: immo etiam sequitur, quòd post quam calefecit illud vsque ad primum gradum nõ am plius per iterationem, vel quãtitatem multam debeat illud calefacere; cùm iam in calore sint similia, & æqualia. Et à simili in forma, & gradu res non patitur. Est & alia opinio, quam in breui tangit Plusquamcõ-

mentator in teg. quòd medicinæ reponuntur in gradu in comparatione ad totam latitudinem humanæ ſpeciei, vt v. g. medicina calida in primo omne corpus calefacit in primo gradu, ſed non qualitercunque, ſed eſt ſecundum diuerſam eius quantitatem. Nam maior quantitas eius requiritur ad hoc, vt calefaciat flegmaticum, quàm colericum. Sic ergo omnes medicinæ talis vel talis gradus dicuntur in comparatione ad omnem hominem. Et licet prædictum effectum in diuerſis hominibus inducere habeant ſecundum earum doſes diuerſas, quod contingit propter diuerſitatem complexionum in diuerſis corporibus exiſtentium, illam tamen opinionem ipſe firmiter nõ aſſentit, ſi bene perpendis. Iſta opinio ſic breuiter prolata, videtur multum confuſa, & licet hanc credamus veram, quia primo quæritur de medicina temperata, An illa medicina, quæ temperata eſt, corpori temperato in illamet quantitate ſit temperata corpori calido, vel diſtemperata, ſed quòd in eadem quantitate ſit ſibi temperata, ſicut, illi non videtur: Cum illa corpora ſint multum diuerſa, ſi eſt ſibi temperata, vel erit calida, vel frigida; ſi frigida, tunc videtur reuerti ad opinionem Galeni. Et ſimili ratione medicina calida in primo reſpectu corporis calidioris, vt reſpectu corporis calidi in ſecundo, poterit frigida appellari, quod punctaliter reuertitur ad id, quod Galenus eſt opinatus. Quod autem reſpectu illius corporis calidi medicina temperata non eſt calida, notum eſt per ſe. Et confirmatur, quia ſicut aliqua medicina eſt temperata, aliqua calida plus, & aliqua calida minus, ita etiam corpora diuerſificantur, quia aliquod eſt temperatum, & aliquod calidius temperato in aliquo gradu, & aliquod plus. Igitur ſicut aliqua medicina eſt temperata corpori temperato,

rato, ita aliqua diſtemperata videtur alicui diſtemperato temperata, & per conſequens non quęlibet erit in gradu tali vel tali in cõparatione ad omne corpus. Et confirmatur, quia quantumcunque aliqua vna res comparatur pluribus rebus in qualitate ſua multum diuerſis, imposſibile videtur, quòd illis æqualiter comparetur. Cum igitur vnica medicina comparetur omnibus corporibus humanæ ſpeciei & calidis & frigidis, cum ſint inter ſe multæ diuerſitates, imposſibile videtur, quòd reſpectu omnium illorum in vnico gradu reponatur qualitatis. Et confirmatur, quia ſimile videtur de rebus, quæ ſunt tales actualiter, & de iis, quæ ſunt tales in potentia, vel quæ tales in potentia appellantur, ſed nulla res actualiter calida in aliquo gradu poteſt reſpectu diuerſarum rerũ in aliquo gradu eſſe; ergo ſic erit de illis. Veniamus ergo ad id, quod in hac inueſtigatione credimus eſſe verum, in hoc aliquas determinando concluſiones. Prima concluſio eſt opinio ſupra poſita, quòd medicinæ illæ, quæ tales in potẽtia cõiter appellantur, ſunt tales virtualiter & actualiter, & hæc ſupra eſt declarata. Secunda cõcluſio eſt, quòd ſi aliqua medicina verè eſt alicui corpori temperata, ita quòd purè per ſuam virtualem qualitatem habet illud corpus in ſua complexione cõſeruare, & nullo modo tranſmutare, ipſa ſibi multoties reiterata, vel in quantitate quacunque adaucta, prædictum corpus ſolum habet conſeruare, & non tranſmutare, & non è conuerſo; quia ſolum illa medicina alicui corpori verè eſſet temperata, qua ipſum non tranſmutat, ſed cõſeruat quantumcunque reciperetur, vel in quantitate augeatur, & iteretur. Prædicta ergo concluſio de tranſmutatione, quę procederet à qualitate, vel forma virtuali, per quam medicina dicitur talis, quia aliis

viis, vt ex ſola quantitate poteſt à quacunque re minima fieri tranſmutatio in corpore, vt de ſe notum eſt. Et hæc concluſio habet euidentiam per vnam propoſitionem famoſam, quæ negari non poteſt: quòd illa, quæ ſunt ſimilia in forma, & in gradu, & hoc ſiue prędicta ſimilitudo ſit formalis, vel virtualis, non ſe tranſmutant. Nam cum paſſum factum eſt ſimile agenti, ſiue ſimilitudo ſit formalis, ſiue virtualis, non vlterius procedit actio, aliter nunquam ceſſaret actio, & agẽs poſſet plus producere, quàm habeat in virtute, quod eſt abſurdum. Ex qua propoſitione patet prædicta cõcluſio, ſcilicet, quòd ſi medicina, quę alicui corpori verè eſt temperata in ſecunda vice exhibita, vel tertia, vel quarta, & punctaliter inuenit corpus eiuſdem diſpoſitionis, qualis fuit in prima approximatione, ſicut tunc non tranſmutat eum, ita nec ſecundo, & ſi non ſecundo, nec tertio, & ſic ſucceſsiuè, quia aliter medicina prædicta primo approximata non pure conſeruaſſet, ſed tranſmutationem feciſſet, & ſic non fuiſſet verè temperata. Quòd autẽ ipſa in quantitate ſimili aucta, nõ tranſmutet ipſum, patet, quia tunc augeret vltra, quàm habeat in virtute, ſicut verbi gratia, ſi ſit aliquid formaliter calidum in duobus gradibus in quacunque quantitate ipſum ſit, cum perfectè ſibi aſsimilauerit aliquod paſſum non aget vlterius, & hoc per propoſitionem aſſumptam. Et ſic in propoſito, niſi forte diceretur, quòd ex diſpoſitione paucitatis inducere tur plus de forma, quàm eſſet in agente: ſed tunc hoc non eſſet vbique, & vniuerſaliter, nec per ſe ex parte agentis, quod modo in propoſito inueſtigamus. Diximus autem in concluſione de medicina temperata, ſi alicui aliqua medicina eſt verè temperata, quia de hoc dubium eſt. Tertia concluſio, quæ ſequitur ex illa

eſt,

eſt, quòd quantitas aucta in medicinis non augeret gradum in medicina ipſa. Et de hoc non dubitat, nec auget gradum in effectu, niſi intelligatur per hunc modũ quòd gradus aliquis poteſt induci à quantitate medicinæ maiori, quia à quantitate minori non inducebatur, verbi gratia, vna parua quantitas ignis non poterit vnam certam quantitatem aquæ ad ſic intenſum gradum caliditatis perducere, ad quam poterit perducere vna quantitas ignis maior, quia plus poteſt vincere reſiſtentiam aquę magna quantitas, quàm parua ignis. Iſte tamen effectus inductus non eſt intenſior qualitate in paruo igne exiſtente, & ſimiliter & virtualiter taliter. Et per iſtum modum intelligitur etiam propoſitio illa, quòd in maiori quantitate eſt maior virtus & non aliter. Quantitas enim agentis adaucta facit ad velociorem introductionem effectus, quod eſt per ſe notum. Ex qua concluſione patet, quòd firmum eſt dictum eorum, qui dicunt, quòd quantitas adaucta in medicinis, auget gradum in effectu ſupra gradum, qui eſt in medicina agente, ſicut à multis communiter ponitur, vt patebit per vnam concluſionem, quæ ponetur. Quarta concluſio ſequens ex his duabus eſt, quòd ſi aliqua medicina, vel aliquod agens per quantitatem adauctam, poteſt inducere gradum intenſum, ſicut aliud in quantitate minori exhibitum, quàm illud quod eſt exhibitum in quantitate minori, eſt intenſioris gradus. Et hoc vel formaliter, ſi eſt tale formaliter, vel virtualiter, ſi eſt tale virtualiter. Et quòd prædictum illi in æquali quantitate exhibeatur, intenſiorem gradum induceret. Iſta patet intelligenti ex dictis, & hoc maxime cæteris paribus exiſtentibus. Quinta concluſio manifeſtè ſequens ex his eſt, quòd apud opinionem Galeni, & ſequentium eum de

reductione medicinarum ad actum, qui ponit, quòd medicinæ calidæ postquam reductę sunt ad actum, sunt verè tales formaliter, quales dicuntur, vt in primo, vel tertio gradu, &c. & similiter medicinæ frigidæ sunt tales actualiter formaliter: oportet ponere, quòd si aliqua medicina, quæ respectu alicuius corporis ponitur esse in aliquo gradu, vt respectu temperati in primo gradu calida, vel frigida, potest per iterationem, vel quantitatem auctam inducere intẽsiorem gradum, vt secundum vel tertium, quòd ipsa in se reducta ad actum, vel actualiter talis existens sit intensiue talis gradus, in comparatione ad prædictum corpus, qualem inducere potest. Istud patet expresse intuenti secundam conclusionem, verbi gratia, stichados ponitur in medicina calida in primo, si per multam quantitatem potest calefacere vltra primum gradum, vt ponunt auctores, vt verbi gratia, in secundo, sequitur, quòd cum ipsa erit reducta ad actum, ipsa in se habeat secundum gradum caloris, & sic tertium si posset in tertio calefacere. Et sic de medicina frigida, quę actualiter ponitur esse frigida. Et similiter etiam oportet secundum nostram opinionem positam, quòd medicinæ sint tales actualiter virtualiter ponere, & quamlibet medicinam talem, vel talem gradũ causantem per quãtitatem auctam, vel iterationem talis vel talis gradus virtualiter, quia quantum ad hoc non est diuersitas: Ex quibus infero, ꝙ auctores ponentes gradus in medicinis, ꝙ non potuerunt cognitionem huius habere, nisi ex effectu secundum diuersas alterationes à diuersis medicinis in corpore factis, in determinatis quãtitatibus exhibitis, in eis assignauerunt gradus. Et licet in medicinis alteratiuis in propriis capitibus doses determinatas non posuerunt, quia in transgressione

ne in eis plus vel minus, non multus est error, de quo sit curandum. Et hoc tali determinationi non contra dicit, si bene perpendis medicinam aliquam, vt primi gradus esse in se qualitatis, aut virtutis intensiuè gradus secundi, quia tamen in tali dosi, qua experta fuit, non calefacit vltra primum gradum ab eis fuit reposita primi gradus & non secundi, & alia secundi & non tertii, & sic de aliis; Et hoc quia, vt iam dictum est, nō fuerunt prædicti gradus in eis assignati, nisi à diuersis effectibus in nobis causatis ab eis in certis & determinatis dosibus. Nam de qualitate in eis subiectiue existente, aliter determinatam doctrinam nō poterant ponere. Nam licet medicina aliqua, quę posita est primi gradus, in se formaliter vel virtualiter habeat qualitatem intensiorem, non tamen sic eam habet intensam, sicut illa quæ ponitur secundi gradus, nec illa secundi, sicut illa quæ tertii. Et propter hoc tibi manifeste apparet causa, quia sępe de vna medicina cadit diuersitas inter auctores, vt vnus dicat eam primi gradus, alter secundi. Ex quibus, si perpendis, potest saluari dictum Plusquamcommentatoris, scilicet, quòd medicina vna potest dici in tali gradu, in comparatione ad omnem hominem in diuersa quantitate, & dosi administrata, quod ex dictis cuilibet est per se notum. Sexta conclusio est, quòd medicina, quæ dicitur calida in comparatione ad corpus temperatum in primo gradu, quæ per additionem quantitatis, vel iterationem potest ipsum vltra primum gradum calefacere, non est medicina verè temperata, & conseruatiua in eodem corporis calidi in primo supra temperatum. Et hæc est statim ex dictis nota. Ex quo potest supra primum gradum calorem inducere. Ex qua conclusione patet, ꝙ medicina temperata potest altero duorum modorum

rum

rum intelligi. Vno modo de ea, quę verè esset tempe rata, quæ ex sua complexione formali, vel virtuali ha bet corpus, cui est temperatum in eodem conseruare, & nullo modo ipsum transmutare. Alio modo de ea, quæ ex sui determinata dosi corpori exhibita, corpus non transmutat, quæ tamen in alia dosi, & aliter variata ipsum transmutaret. Et proprie inter tales illa tem perata appellatur, quæ ipsum sic iterata potest parua transmutatione trāsmutare. Quę autem manifestius temperata non dicitur, & similiter medicina primi gra dus potest dici in gradu altero duorum, vel quia ex sui complexione formali, vel virtuali secundum diuersos modos opinandi habet talem vel talem gradum intro ducere, vel quia hoc solum habet in determinata quan titate, sicut dictum est de temperata medicina. Septima conclusio est, quòd diuersitas corporum inter se in calido vel frigido, & maxime sanorum non est similis diuersitati medicinarum inter se, immo prędicta diuer sitas est multum paruæ latitudinis in cōparatione ad prædictam. Et patet hæc conclusio. Nam nulli dubium, quòd nullum est corpus, & maxime sanum, quātumcunq; distans à calore à corpore temperato, qui illud calefieret à gariofilo, signum est, quia quodlibet cuiuscunque cōditionis sit, ponat simul super linguam, sentit inflammationem, & mordicationem ex eo, & sic etiam in corpore toto. Et experientia plus hoc percipiet, qui calidioris est complexionis. Et tamen gario filus ponitur in tertio, & ab aliquibus in secundo: ergo nullum corpus distat in calore à temperato in secundo vel tertio gradu, quia tunc ab illo non calefieret, sed conseruaretur. Similiter etiā medicina calida in secun do per quantitatem adauctam, & longam approxima tionem calefaceret omne corpus. Immo etiam de ca

lido

lido in primo sic approximata concedunt: Igitur nullum corpus sic est calidum, vt ipsa est formaliter apud tenentes opinionem, quòd ipsę sunt tales formaliter, vel non est sic calidum, vt ipsa est virtualiter apud opinionem nostram. Et patet istud expresse ex conclusionibus suprapositis, si bene perpendis. Ex ista conclusione sequitur conclusio octaua, quæ est, quòd nulla talis medicina, quę per quantitatem auctam, vel multotiens approximata, potest calefacere quodlibet corpus in suo calore, aliquod corpus in suo calore remittit, vel infrigidat: immo quanto corpus est calidius, siue caliditate naturali, siue præter naturam, tãto in breuiori tempore illud plus inflammat, quàm frigidũ corpus. Hoc statim patet, quia prædicta in se calidior est, vel formaliter, vel virtualiter quolibet corpore. Igitur nullum infrigidat etiam in corpore illo, vbi minus habet de resistentia in breuiori tempore plus de calore inducit, quàm est in corpore calido in comparatione ad frigidum. Et similiter per oppositum intelligitur hæc conclusio de medicinis frigidis. Nona conclusio ex dictis sequens est, quòd licet aliquod corpus, etiam sanum sit tanti caloris, quanti est corpus temperatum, cum est calefactum à medicina in primo, immo etiam cum esset calefactum à medicina calida in secundo, ita quòd tangendo vtrunque apparent punctaliter ad tactum æqualiter calida. Ipsum tamen non est calidum, vt prædicta medicina est calida virtualiter secundum nostram opinionem, quod tamen oporteret concedere apud tenẽtes, quòd medicina quæ calefacit corpus tẽperatum in primo, cum ipsa est reducta ad actũ: ipsa est punctaliter calida, sicut corpus calefactum ab ea. Et per consequens prædicta non alteraret corpus quod punctaliter tantundem distaret à temperato, &

quan-

quantumcunque in quantitate augeatur, siue etiam in longo tempore approximaretur. Et per prædictam opinionem oportet etiam concedere, quòd prædicta medicina exhibita corpori multum calefacto, vt causonizanti, habet illud infrigidare, quod apud haberet plus inflammare: cum in eo sit valde parua dispositio ad inflammationem, & resistentiam ad inflãmari, quanto est calidius factum sit continue plus abiecta, aut oportet eos concedere, quòd medicina calida, quæ per auctam quantitatem potest corpus calefacere cum est reducta ad actum, vel si est actualiter talis, ipsa sit in se valde plus calida, quàm sit caliditas quam inducit, & per consequens deuenire adhoc, quòd ipsa approximata corpori valde plus calidiori, non habet illud infrigidare. Cum ipsi cõcedant, vt patet per Gentilem, quòd medicina primi gradus potest per quantitatem, vel lõgitudinem approximationis calefacere in tertio, præacerrimo vsque ad mortẽ perducere, & per consequẽs in quarto. Et ex hac conclusione patet etiam plus alia conclusio, quod manifeste est contra opinionem Galeni suprapositam, cum innititur exemplo vrinæ approximatæ homini existenti in thermis. Cum enim aqua calida perduxisset hominem ad calorem, in quo ipsa ponitur, esse non vlterius eam calefaceret, quantũcunque longiori tempore approximaretur, vel in quacunque quantitate: & ideo reliquum est de medicinis, quę tales sunt virtualiter, vt prædictum est. Decima conclusio etiam ex dictis sequens est, quòd medicinæ, quæ ab auctoribus reponuntur in gradibus, de quibus dicunt, quòd calida in primo habet sic corpus calefacere & calida in secundo sic etiam, nisi reiteretur, vel in quãtitate augeatur, quia tunc aliter corpus transmutant, in gradibus reponuntur in comparatione ad omnem

ho-

hominem,& non solũ ad temperatum. Cum iam deductum sit manifeste, quòd quælibet medicina calida, & sic de frigida cuiuscunque gradus ex sui virtute calefacere habeat omne corpus, siue naturaliter sit dispositum, siue præter naturam, immo plus quanto plus est calidum, et sic frigida plus quanto plus est frigidum: & licet vnius & eiusdem medicinę calidę, vel frigidę, humidæ, vel siccæ in comparatione ad diuersa corpora naturaliter disposita, vel præter naturam, diuersa dicatur esse habitudo, quæ quidem diuersitas non facit diuersitatem in gradu, de qua modo loquimur, propter corpora ad inuicem non multum distare in comparatione ad distãtiam medicinarum inter se, respectu corporum, vt declarauit tertia & prima cõclusio. Et istud fundamentum multum est in proposito notandum. Et prædicta diuersitas vnius medicinæ ad diuersa corpora æquiparatur ex quantitate diuersa, vt bene tetigit Plusquamcõmentator. Medicina etiam temperata ex sua virtuali complexione omni corpori dicitur temperata, quia nullum corpus calefacit medicina calida cuiuscunq; gradus, nec aliquod infrigidat, sicut facit medicina frigida cuiuscunque gradus fuerit. Et si prædictæ medicinæ ad diuersa corpora sit æqualis diuersitas non variat latitudinem tẽperamenti in medicina propter paruam diuersitatem corporum inter se, in comparatione ad medicinas, vt dictum est, licet diuersitas multum magna appareat, corpora ipsa inter se solum comparando, & corporum diuersarum complexionũ & ætatum, & dispositionum, ipsa tamen multum parua existit in comparatione ad medicinas. Et ideo, quia medicinæ non calidæ, nec frigidæ etiam antequam reducantur ad actum, siue postquam sunt reductæ formaliter, quemadmodum corpora ipsa sunt, sed sunt agen-

tia

tia virtualiter habentia determinatas tales virtutes,& tales gradus,& respectu talis subiecti,& non alterius respectu. De virtutibus quarum,& gradibus,& operationibus notitiam perfectam habere non possumus per tactum,vt de iis,quæ sunt formaliter talia, sed experientia sola : quæ quidem si consideras manifeste cõformis est modo iam posito , plusquàm modo Galeni, vt per experientiam est contra eum allegatum.Et hoc patet . Nam auctores allegantes , & reponentes medicinas in gradibus,nullam mentionem faciunt de corpore temperato. Similiter etiam nulli dubium , quòd experientia de eis facta,vt plurimum non fuit in temperatis corporibus,cum illa paucissima reperiantur & rarissima videntur , & in particularibus capitulis, & paucioribus,cum volunt medicinas etiã tẽperatas approximare,easdem nominãt medicinas, vt cum volũt mitigare dolorem, non facientes diuersitatem diuersarum medicinarum secundum diuersa corpora. Et hoc dico de vere dolorem mitigantibus, quæ anodinæ medicinæ ab eis appellantur. Et ideo apud opinionem Plusquamcommentatoris sic determinatam pro vera tenemus. Et licet ipse confuse eam tangat,& non affirmet. Et attende ad hoc,quòd si perpẽdis modo prædicto saluato , medicinæ possunt reponi in gradu , in comparatione ad hominem temperatum . Et hoc debet esse notum cuilibet,non tamen secundum modum positum in opinione Galeni, vt iam declaratum est. Huic autem inuestigationi restarent aliqua valde annexa declarare,quæ causa breuitatis omittimus : Vt vtrũ sit reperire aliquam medicinam punctaliter alicui corpori temperatam , quæ ex sui complexione virtuali, nullomodo haberet illud corpus transmutare . Et quã tumcunque etiam in quantitate augeretur,vel multo-

tiens

tiens reiteraretur, quæ inueſtigatio eſt ſatis difficilis, & huic propoſito eſſet valde neceſſaria. Similiter etiam inueſtigandum eſſet de comparatione medicinarum inter ſe, qualiter adinuicem ſe habeant transſmutare, & habere. Et omnis perfecta comparatio medicinarum, & ad corpora inter ſe. De iis autẽ, aliàs dicemus, nobis gratiam Domino concedente. Huic autem Tractatui propoſueramus annectere inueſtigationem de alteratione diuerſorum corporum eadem ægritudine ægrotantium, cui competant fortiora, an flegmatico, vel colerico eadem febre febricitantibus, in qua aliqua fortia dubia contra opinionem Galeni haberemus. Sed quia de hac materia latè ſcribemus in ſumma magna, quam actualiter diſputantem ſuper omnes partes medicinæ componimus, ideo hanc præfatam ſpeculationem dimiſimus. Et ego Thomas olim Dyni famoſi Medici de Florentia de Garbo, hunc Tractatum compoſui in tertio anno noſtræ lecturæ Flor. ordinariæ 1360. de menſe Auguſti, in diebus, in quibus exercitus Archiepiſcopi Mediolanenſis fuit circa ciuitatem Florentiam.

FINIS.

INDEX VXTA ALPHABETI ordinem ad legentium facilitatem additus.

Diuiditur in duas partes a primam paginę partem vero secundum indicat.

A

C

D

A Dosis

In

Index

I

M

O

P

Potio